4

DE REBVS IN ELECTIONE, PROFECTIONE, CORONATIONE HENRICI REGIS POLONIAE, IN GALLIA, ET IN POLONIA GESTIS.

Cum Licentia Superiorum,



R O M AE,
Apud Heredes Antonij Bladij, Impreſſores
Camerales, M D LXXIIII.

AD LECTOREM.

Admonendum eſſe te duximus Lector, incuria typographi mutatum eſſe ordinem in excudendis orationibus a nobis illi præſcriptum. Quem tu tamen, rationem temporis, quo quidque dictum uel factum eſt ſecutus in lectione talem ſeruabis.

1 *Illuſtriſsimi Cardin. Comendoni Oratio.*
2 *Vladislauien. Epiſcopi Epiſtola.*
3 *Ioannis Zamoiſcij in Gallia habita Oratio.*
4 *Epiſtola Fuldenſis.*
5 *Panegyricus.*
6 *Pompa funebris Sigiſmundi Regis.*
7 *Plocenſis Epiſcopi Oratio.*
8 *Sollemnitas Regis Craccouiam ingreſſus.*
9 *Epiſtola Namoſſi.*

ILLVSTRISSIMO ET AMPLISSIMO CARDINALI FARNESIO REGNI POLONIAE PROTECTORI.

STANISLAVS RESCIVS S. P. D.

QVONIAM hæc interregni tempora, in quæ patria mea morte Sigiſmundi Regis incidit, tum & ipſa electionis factæ celebritas, meritò poteſt inter ea connumerari, quæ noſtra tempeſtate, quin & maiorum noſtrorum memoria maxima & uniuerſæ poſteritatis cõmemoratione digniſsima acciderunt; ne multorum opiniones ueritatis ignoratione in erroris & inſcitiæ tenebris iacerẽt; narrationem eius hiſtoriæ in lucem proferendã eſſe putaui, nõ meis, qui tum à patria mea abſui, ſed eorũ uerbis, qui rebus gerendis non interfuerunt ſolùm, ſed etiam præfuerunt. Cùm ergò ſcripta quædam ad Ill. Cardinalem meũ Varmieñ. & ex Gallijs & ex Polonia quoque noſtra tranſmiſſa legiſſem, quibus interregni noſtri ratio, electionis ordo, legationis ſucceſſus, Regijq; in Poloniam aduentus, & coronationis factæ celebritas deſcripta continebatur; non abs re me facturum eſſe putaui, ut hæc omnia in unum uelut commentariolum congeſta, (interim dum à noſtris plena hiſtoria, rerum & cõſiliorum omnium rationẽ continens, adornatur) exirent, atque in uulgus emanarent; in hac urbe præſertim, in quam uelut in arcem omnium gẽtium, ac nationum quidquid eſt rerum nouarum confluit, & nonnunquam etiã incertiſsimi rumores diſsipari conſueuerunt, ut eorum potius orationes Romanis ciuibus fidem facerent, qui quæ ſcripſerunt, eadem & dixerunt & fecerunt, & omnia recte perſpecta & explorata habere potuerunt. Illuſtriſs. Cardinalis Commendonus tot legationibus pro Rep. ub. Chriſtiana in diuerſis orbis Chriſtiani partibus cum laude per functus, grandis uerbis, ſapiens ſententijs, toto locutionis genere grauis, Senatui, Equitibusque Polonis, qualis eligi Rex debeat, Gregorij Pont. Max. nomine, quem Deus Eccleſiæ ſuæ ſanctę ad multos annos ſeruet incolumen, neruis & viribus plena oratione oſtendit. Vladiſlauienſis Epũs Salutaris patriæ noſtræ Senator, tuendęque Catholicæ religionis ſtudio inflammatus, modum omnem & ordinem in electione Regis Henrici ſeruatum, ad Martinum Cromerum, quem ſibi Cardinalis meus, cum uideret per ambitioſos & contentioſos homines Eccleſias perturbari ſolere, Valeriani, Auguſtini, Alexandri, Athanaſij veſtigia ſecutus, in Eccleſia ſua Varmienſi,

mienſi, propter illius in Remp. Chriſtianam merita, ſucceſſorem elegit, fideliter ac luculenter perſcribit. Zamoſcius & verbis ad audiendum iucundis, & exemplis ad probandum accommodatis, florens, inſignis & expolitus Orator, Henricum Andium Ducem, in Regem Poloniæ liberis vocibus electum, Ciuitati Pariſień, quam recte Rex ille μικρόκοσμον appellauit, vel potius vniuerſæ Galliæ denuntiat. Fuldenſes Patres per Germaniam proficiſcentis pietatem, ac religionem predicant. Vladislauień. Epiſcopus, cuius antea meminimus, copioſisſimo & ornatisſimo Panegyrico, fœlicem in Regni Poloniæ fines ingreſſum, cum ſuccincta rerum in electione geſtarum cōmemoratione, ſenatus Equitumque Polonorum nomine, Regi gratulatur. Plocenſis Epiſcopus vir acuti ingenij iudicijque maturitate laudatus, in Grecis latiniſq; litteris, nec in ethnica magis quàm in Chriſtiana Philoſophia fœliciter verſatus, luculento ſermone Regem in Corona grauisſimi Senatus, Craccouiam venientem excipit. Namoſius legationis Polonicæ hiſtoriam eleganter & compendioſe perſequitur. Ac vt abundet potius & effluat hiſtoria viſum eſt ea quoque adiungere, quæ de ſolennibus Sigiſmundi Regis exequijs, & Henrici Regis in Ciuitatem Craccouienſem introitu celebri, viris, armis, argento, veſte, gemmis, equis, curribus, omni apparatu ornatuq; viſendo, Venetijs primum, deinde in hac etiam vrbe, Italica lingua peruulgata fuerunt. Hæc itaq; omnia in unum libellum congeſta, uelut cōmentariolum quendā, rerū omnium ad electionem, profectionem, & coronationem Regis Henrici pertinentiū, tibi dicanda eſſe putaui Cardinalis amplisſime: tum quòd Cardinalis es quo nomine non Vrbis vnius, ſed orbis vniuerſi Chriſtiani velut quidam Senator & conſiliarius conſtitutus es: tum quòd Regni Polonię Cardinalis Protector es, quod munus Reges illi noſtri Sigiſmundi Pater & filius, quorum memoria ſit in benedictione ſempiterna, propter admirabiles & heroicas uirtutes tuas, cum de tua fide, integritate, prudentia multa predicari audirent, magno iudicio, optimoque conſilio vſi, tibi mandandum eſſe putauerunt; magis ut etiam hoc nomine, totius rei in Polonia geſte cognitio, ad te pertinere videatur, nec ſub alterius quàm ſub tuo patrocinio in lucem exire libellus iſte debuerit. Abs te peto, ut hoc erga te ſeruitutis & obſeruantię meę declarandę conſilium, tranquilla & ſerena fronte ſuſcipias, me in tuorum numerum adſcribas, tibiq; perſuadeas, quòd mihi gratia, patrocinio, protectioneq; tua, nil in omni uita mea, poſſit eſſe antiquius. Vale, Romę idibus Maij A. D. M D L X X I I I I.

ILLVSTRISS.

ET REVERENDISSIMI DOMINI, D. IOANNIS FRANCISCI COMMENDONI,

S.R.E. Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis, per Germaniam & Poloniam de latere Legati Oratio.

Ad Senatum Equiteſque Polonos habita in Caſtris apud VVarſzauiam, viii. Aprilis. Anno 1573.

QVAE PONTIFEX Maximus in veſtra Regis eligendi deliberatione grauiſsima, atque maxima à Deo precatur, vt veſtrę mentes, atque ſententiæ diuino inſtinctæ ſpiritu, ſalutem vobis, & huic Regno incolumitatem, & dignitatem præſtent, eadem mandatorum, & legationis meæ ſummam eſſe voluit. Nam quemadmodũ ſua Sanctitas indictis Romæ ad omnia templa publicis ſupplicationibus, & ſuis & populi precibus, Deum placare non deſiſtit, quo Regem vobis concedat, qualem & veſtra, & vniuerſæ Chriſtianæ Reip. tempora poſtulant, ita vos hortatur, vt in re tanta, quanta maior vobis eſſe nulla poteſt, non tam quid in præſentia ipſi poſſitis, quàm quantum momenti in eo ſit, quocunque veſtra iudicia inclinarint, animo reputetis, atque hac poteſtate ſapienter vtamini. Eſt enim res huiuſmodi, vt in vnius decreti vi, ſummum aut ſalutis, aut exitij diſcrimẽ

vertatur. Quod intelligens Pontifex, ſicuti ex eius literis, quæ modo recitatæ ſunt audiuiſtis, haud minus quam Chriſtianæ Reip. parentem decet, ſolicitus de veſtra ſalute, Comitiorum, Conſiliorumque veſtrorum exitum expectat. Verum ego velim, vt ex eo templo, vnde pias ad Deum pro vobis preces mittit, qua pace, qua tranquillitate, interregnum hoc, vna vos patriæ charitate, & legum reuerentia coniungente, ferè peregeritis, intueri poſſet, bonam profectò ſpem ex veſtra virtute perciperet. Eſt enim ſingularis exempli res in libero Regno, Rege diu caruiſſe, & ſilentibus Regis morte propè omnibus legibus, omnes tamẽ ex lege vixiſſe, & ſuam cuique voluntatem, ſuum cuique in patriam, ſtudium pro lege fuiſſe, vt in tot nobilium, & maxime militarium hominũ millibus, nullus tumultus, nulla vis, nullæ ſeditionum turbę extiterint, nullus omnino armorũ ſonitus auditus ſit. Quod cum vobis ipſis ſalutare, & præclaro poſteris veſtris exemplo fuerit, tum certè apud omnes Nationes moderati animi admirationem habebit. Quam ego gloriam, & vobis ex animo gratulor, & mihi ipſi meo quodam iure gaudeo, cui in his, quæ de veſtris laudibus, deque veſtra Rep. prædicari conſueui, tam illuſtre teſtimonium dediſtis. Quod ſi qua pietate orbati Rege, pacem, patriamque ſeruaſtis, eandem hoc loco in dicendis ſententiis, ferendisque ſuffragijs retinueritis, ſi vnam animis Remp. cõplectemini, ſi nihil niſi ex veteri more, & ex maiorum inſtitutis, quibus hactenus res Polona ſtetit, ac floruit agi patiemini, equidem non modo ſpem, ſed lætitiam delecti concordiſsimè, optimi Regis, iam animo pręcipio. Et verò Reip. veſtræ formam ſæpe conſiderans, admirari ſoleo ſapientiam maiorum veſtrorum, qui Regni, & libertatis modum ita temperarũt, vt inter ſupremam vnius poteſtatem, & diſſolutam multitudinis licentiam, tam firmam tuendarum legum, & propagandi imperij rationem excogitarint. Hanc illi innumerabilem Equitum multitudinẽ ampliſsimo diffuſam Regno, paribus vtentem legibus, & æquo inter ſe iure ita uiuentem, ut una aliqua ingens uideatur eſſe ciuitas, quæ multas, & longe diſtantes Prouincias ſit

complexa,

complexa, haud alio imperio regi poſſe, quàm Regio intellexerunt. Cum uero hoc quemadmodum eſt omnium præſtantiſsimum, ita ſit periculoſum publicæ libertati, ijdem utrumq; viderunt, & Rege Remp. indigere, & ne Rex grauis communi libertati foret, prouidēdum eſſe. Cumque Magiſtratus inſtitui in Rep. nullus poſſet, qui Regem poteſtate anteiret, ſpiritualem ordinem aſſumpſerunt, eumque in ſpecula libertatis, & præſidio Reip. collocarunt, nullumque ſine eo publicum conſilium eſſe voluerunt. Cum enim Epiſcopi conſtituti in populis ſint tamquā Nuntij, & interpretes Dei, ad eorū dignitatem per ſe maximam adiecere humanas opes, honoresq; in Rep. ampliſſimos, quibus cōmuniti, & Regē in officio haberent, parentūq; maieſtatē apud eum obtinerent: atque inde cuſtodes, ac vindices publicę libertatis exiſterent. Quod ſæpe factum eſſe, rerum veſtrarum ſcriptores memorię prodiderunt, vt efferentem ſe regum licentiam ſaluberrima Epiſcoporū auctoritas coercuerit. Quamobrem cū ita Reſp. ſit conſtituta, ut fundamenta libertatis in religionis, & Eccleſiaſtici ordinis dignitate collocauerit, nemo, vt arbitror, dubitat, quin neceſſarium ſit ad ſtatum Reip. cōſeruandum, ut Regem auitæ, & Catholicæ pietatis cultorem habeatis, ne ſi ſpreta fuerit, aut etiam eiecta Eccleſiaſtica auctoritas, tanquam euulſis ijs radicibus, quibus primum fixa, & confirmata eſt ſalus, & libertas veſtra euertatur, & concidat. Cuius rei exempla vtinam nulla haberetis, quæ nimis iam multa ad cauendum vobis horum temporum prauitas præbuit. Sed profectò uidemus in quibus prouincijs par ratio tuendæ libertatis inſtituta erat, in ijs ſublatis per eorum dominatum, qui à Catholica religione deſciuerunt Epiſcopis, non ſolum libertatem oppreſſam, ſed etiam nobilitatem extinctam eſſe, & omnia ſub unius arbitrium, uoluntatemque redacta. Id ne vobis accidat ueſtræ in primis prudentiæ, veſtræ in patriam pietatis eſt prouidere, ut Regnū hoc nobiliſsimū, quod ſemper propugnaculum habitum eſt Chriſtianæ Reip. ijſdem rationibus conſeruetis, quibus initio ſtabilitum eſſe intelligitis. Id enim, id fortiſſimi Equites eſt firmamentum veſtræ libertatiis

bertatis, quod qui comminutum, & labefactatum cupiunt, næ illi non ſentiunt eodem tempore concuti totam, ac diſſolui Remp. Multa vos quidē, & magna à Deo beneficia habetis, qui regnum veſtrum à Baltico mari ad euxinum, ab Odera flumine per immēſa regionum ſpatia Boriſtenem vltra propagatum, tantis rerum opportunitatibus auxit, ſed pulcherrimum illud eſt, quod eligendi Regis facultatem vobis ſingulariter tribuit, vt Regem habeatis non eum, quem fors ex certa hæreditatis lege dederit, ſed quē vos ipſi dignum à quo regamini iudicaueritis. Quo profectò in rebus humanis nihil videtur eſſe præſtantius. At non hoc ſolum munus dignitatis, & amplitudinis plenum, vobis elargitus eſt Deus, ſed munus ipſum ſuum nouo, & nobiliore munere cumulauit, cùm id nō humanis viribus aut opibus, quāquam ne his quidem vos non abundè inſtructos eſſe voluit, ſed bonorū omnium maximo, & præſtantiſſimo Catholica religione ſundauit. In qua vtinam omnes conſentientes eſſetis, neque hæc nouitas, & varietas opinionum, quibus ſcinditur Chriſtiana Reſp. in Poloniam vnquam penetraſſet, & in hanc gentem, quæ ſuis coniuncta, & conſentiens legibus pręſidio eſſe Chriſtiano nomini poteſt, hoc malum inuectum eſſet, quo ęgrotare veſtram Remp. & ipſi ſentitis, qui proximo Varſzauienſi Conuentu ei mederi cupiuiſtis. Qua in cupiditate ſanandi veſtra incommoda, ſicut ego nemini concedo, qui id uere, & ex animo cupiat, ita cum ſępe hac ipſa de re mecum pro ſummo meo in vos ſtudio cogitauerim, duo prætér cætera ſunt in hac vobis inita curandi ratione, quæ ſatis intelligere mihi nō videor: alterum ſi diſsidium in Rep. ex varietate iſta opinionum de religione ortum habet, quo nam modo confirmādis omnibus ſectis, alijsque inſuper aſciſcendis has ſedari poſſe contentiones putent, qui in huius conſilij ſententiam iuerunt: alterum quo item modo is, quicunque ſuam veram religionem, prauas omnes aliorum ab ſe diſſentientium, credit (nam plus vna uera eſſe nō poteſt) eam ipſam, cui ſe vni applicuit, & quam vnam pro vera approbat, colitque, infici, & confundi tanta hæreſum, & errorū turba ſine piaculo, & ſine

ne graui conſcientiæ morſu pati queat. Pax, concordia, fœdus, grata ſunt, & iucunda omnium auribus nomina, vt ijs qui reſiſtat, aut ullam omnino moram afferat, is non patriæ cupidus, non Reip. amator eſſe videatur. Et verè ſi nominibus res ipſa ſubſit, ſi ei paci, ei fœderi conſulatur, quo vera pax, tranquillitasque creetur Reip. non quo effracta religionis Ianua Regnum hoc omnibus, quæcunque in quauis longinqua, & aliena terra excogitantur, & quotidie conflantur prauarum opinionum monſtris, aperiatur, & pateat, quo inueniatis requiem animabus veſtris, non quo in turbine & tempeſtate, veluti per fluctus feri Maris deſpumantis ſuas cōfuſiones, circumferamini omni vento doctrinæ, quo diſſenſionum faces reſtinguantur, nō quo omnium permiſſa licentia religionum tanquam incendij materia comparetur, & nouarum rerum cupidis, tum animus, & audacia, tum etiam moliendi facultas addatur: ijsque inſtrumenta ſeditionū, ipſa penè præbente Rep. prompta ſemper & parata ſint. Vſu eueniſſe videmus in alijs Chriſtianæ Reip. prouincijs, vt hęc expetita multis licentiæ remedia, haud ſecus quàm ſi ad extinguendū ignem pro aqua oleū infuſum ſit, ingentes continuo flāmas dederint, atq; inde omnia funeſtis bellis, diſcordijsq; miſcuerint. Duo maxime mala, vt ſcitis, viri ampliſsimi, infeſta ſunt, & mortifera Rebusp. tyrannis, & licētia. Atq; licētia quidē quanto eſt ſingulis iucundior, tāto eſt periculoſior vniuerſis: quippe cui plurimorū ineſt tyrannis. Sed ſi ea etiā religionis & ſacrorum ſit, illico legum, illico magiſtratus, & omnis imperij ius cadere, & conturbari, & confundi omnia neceſſe eſt. Cum enim inſit omnium animis erga Deum religio, eiuſque cauſam cuncti ad ſe pertinere putent, ea attingi, & contrectari non poteſt, quin ſimul animi omnium commoueantur, atque inde violentiſsimi & turbulentiſſimi motus exiſtant, quibus euertuntur ipſæ Reſp. nōn ſolum religio ſoluitur. Cum religionem dico, volo, vt quæ cuique vera videtur, ex æquo dicere me nūc quidem exiſtimetis. Nam nouis, & a Catholicę religionis ſanctitate alienis, iſta maximè nocet licentia. Sunt enim illæ eius generis, quæ vt ait

 Apo-

Apoſtolus ſe inuicem mordent & comedunt, & ab inuicem cõſumuntur. Vt & ad veritatis cultores, & ad nouarum opinionum approbatores pertineat hanc cohiberi & reprimi licentiam, qua reſerata, Chriſtiana fides omnium ſiue cupiditati, ſiue ambitioni, ſiue errori diſtrahenda & dilaniãda præbetur, & inconſutilis illa IESV CHRISTI tunica, quam ne ipſi quidem eius interfectores ſciderunt, ſcinditur illorum vocibus, qui dicunt, date nobis dimidiam partem, & dimidiam partem alijs. Veniat vobis in mentem nobilis illius iudicij Salomonis clariſſimi Regis, qui ambigentibus apud ſe de filio duabus matribus, eam iniuriæ & improbitatis damnauit, quæ diuidi ac diſpartiri puerum poſtulabat, ei reſtitui iuſſit, quæ vt integer & incolumis ſeruaretur Regem obteſtabatur. Exquirat nunc & excutiat unuſquisque animum & conſcientiam ſuam, ſit quiſque Salomon ſibi, & ex illius viri ratione, qui diuino teſtimonio ſapientiſſimus eſt habitus, de ſe ipſo iudicium ferat, niſi enim noſmetipſos diiudicauerimus, ecce pluſquam Salomon hic, qui iudicat oẽs Deus, de cuius manu nemo nos poteſt eruere. Eligat quiſq; vtrius animi imitator eſſe malit, an ex falſæ, & adulterinæ matris optato, Chriſtianam fidem diſcindi, & diſperdi patiatur, an veræ, & piæ matris exemplo inuiolatam, atque integram ſeruari uelit, nimirum commota ſunt ſuper puero uiſcera eius. Atque utinam pari nunc pietate commoueantur uiſcera noſtra ſuper puero, quem dedit nobis Deus filium ſuũ factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant, redimeret, & nos filiorum adoptionem acciperemus. Neque ſpe falſa pacis decepti, pacis ueræ datorem, per quem & deo reconciliati ſumus, diuidendum lacerandumque præbeamus.
Epi. 1. Io- Omnis ſpiritus inquit Ioannes, qui ſoluit Ieſum, ex Deo nõ
an. 4. eſt. Nunquid diuiſus eſt Chriſtus? vnus eſt Deus, vna eſt fides, vt qui plures approbet ac ſciſcat, is omnes contemnere videatur, is Chriſtum diuidat, is Ieſum ſoluat. Quæ cum ita ſint, ſpero uos ſalubriora his malis remedia quæſituros, quæ certè in eo inuenturi non eſtis, quo Dei Maieſtas & numen violetur, & quo diuinarum rerum Ius ad hominũ ſtudia, rationesq;

tionesque accõmodetur. Neq; enim religio humana res eſt, ut hominum iudicijs ſubijci debeat, ſectarum iſta licẽtia eſt, nouarumque diſciplinarum, quarum cum principes, & architecti ſint homines, hominum volũtate mutari & uariari poſſunt. At Catholicæ pietatis fides ſacroſancta, & diuinitus tradita eſt, quam non ut illi, qui ſuas rationes quaſi filias ab ſe procreatas in poteſtate habent, ad noſtrũ arbitrium reuocare, ſed vt matrem, quæ nos alit, atque educat Deo, colere, & venerari debemus, eamque normam, ad quam vitam omnẽ, actusque noſtros dirigamus, habere perpetuam, & immutabilem. Nõ eam facere Lesbiam illam regulam, quam ad omnes cupiditatis noſtræ angulos flectamus, ac detorqueamus. Eius nos iuſsis parere, atq; obedire conuenit, nõ eam noſtris obligare, aut laxare decretis, non enim imminuta & violata, ſed integra, atq; incorrupta ſalutẽ, & pacem animis rebusque affert. Hac vos ut ratione utamini, & ne quid quod ſupra hominẽ ſit poteſtatis ueſtræ faciatis, pro ueſtra prudẽtia uidete. Sat opinionũ, ſat perturbationũ illatum, ſat grauis eſt Reip. ueſtræ hic multorũ priuatim diſceſſus à ueteri pietatis ratione, quod ſi huic infælicitati publica etiam acceſſerit ulla auctoritas, pro ſummo irati Dei argumento, accipite. A quo, quæ populorum peccatis iuſtè conſtitutæ ſunt pœnæ, eas ſæpe remoratur illius miſericordia tandiu, donec aut nemo expers criminum ſit, aut communi aliquo facinore ipſa obligetur Reſpublica. Tum enim preſens eſt ſine retardatione animaduerſio, quæ declinantes in obligationes adducit, cũ operantibus iniquitatem, ut iuſtificetur Deus in ſermonibus ſuis, & vincat cum iudicatur. Meum animũ erga vos, Remq; hanc publicam, Viri ampliſſimi, multis ueſtrum perſpectum eſſe exiſtimo, ſed in re, quæ ad cultum honoremque Dei, & ſalutem veſtram pertinet, ipſum qui dicentis animũ intuetur, Deum teſtor, me hęc ex ſumma ſalutis, & incolumitatis veſtræ cupiditate dicere, Deum precatus, vt vera loquutum me bonis veſtris rebus potius quàm conuerſis intelligatis. De Chriſtianæ religionis iuſſis, fideq; ea, quam maiores ueſtri ſanctiſſimè cultam uobis tradiderunt, etiam atq; etiam uidete, ne quid uos publicẽ iam immutetis, optate ut

uobis bona, atque eadem omnibus mens ſit, ſi quos procella horum temporũ abripuerit, eorum noxæ ad rempublicã ne pertineant. At uero his conſilijs, quibus priuatorum ſtudijs Reſpublica inuoluitur, per incolumitatem ueſtram Equites, abſtinete. Cauete ne ſpecioſa uos, & uacua rebus nomina libertatis, & concordiæ religionum decipiant. Cogitate nequicquã conatum ſuſcipi iungendi uerbis, quæ diſſident re-
Luc. 5. bus. Nõ ego uos moneo, ſed Dominus, non mea ſunt, ſed Ieſu Chriſti uerba, nemo cõmiſſuram à ueſtimento nouo immittit in ueſtimentum uetus, alioquin, & nouum rumpit, & ueteri non conuenit commiſſura à nouo, ſed peior ſciſſura fit. Video uos incommodis Reip. commoueri, cupere his diſſidijs modum inuenire, ſed nimijs prouecti ſtudijs, remedia ipſo morbo grauiora exquiritis, uenenum pro medicina paratis. Haud leui morbo affectam Remp. eſſe, & uos prædicare ſoletis, & res ipſa oſtendit. Eum depellere ſubito morbum ſicuti humanę opis non eſt, ita de illius curatione deſperare uos minimè conuenit, ut quaſi deſtituto ab omni ſpe ægro, ciborum, & rerum omnium licentiam indulgeatis, nam id quidem eſſet præcipitem ad mortem impellere. ſi æque iam morbum, & medicinam non ferre uidetur, eam medendi rationem tenete, ut uictu ſalubri & moderato ſuſtentetur, & contineatur ab ijs rebus, quarum maximè nouitas deprauatum eius ſenſum, atque appetitum commouet. Si enim nulla intemperantia uis morbi aucta ſit, fieri perſæpe videmus, ut ipſa ſe natura diligens conſeruatrix ſui ſuſcitet, ac recreet, & omnem morbi uim ſuperet, præſertim ubi ualidum, ac bene conſtitutũ corpus nacta fuerit. Quod ſperari in hac Republica poſſe, ingeniorũ & naturæ veſtrę vis & probitas nõ obſcurè ſignificat. Nimirũ verecundia legum pulſat intus animos veſtros, quarũ vt vim non timeatis, maieſtatẽ certè veremini. Atque hic, Equites, honor quem nullo ſubacti metu, veſtra uoluntate tribuitis legibus, ad hanc diem ſaluti Reip. veſtræ ſuit. Quemadmodum enim pater auctoritate, nõ pœna, filiorum iuuenilem licentiam cohercet, ita uos legum nõ tam ius, quã maieſtas continuit, defenditq; hactenus, atq; obſtitit ne qui motus in Rep. exorretur. Idem uitalẽ uim & naturale ro
bur

bur huius Reip. alit, ſouetq; ,ut expectare poſſit dum implorantibus, quod aſſidue faciendũ eſt, cœleſtis irę veniã, miſericordiã ſuã impartiatur Deus: Miſerationes enim Dñi ſuper omnia opera eius. Quod ſentiẽs cõmunis hoſtis humani generis, & ſuo furori veſtrã integritatẽ, & modeſtiã, tanquã murum obiectũ cernens, quo Regnum hoc ab inteſtinis tumultibus, & ab illis ſeditionum incendijs, quibus multas prouincias Chriſtianæ Reip. peruaſtauit, intactum ad hoc tempus ſtetit, id agit, id molitur, quo ſublato legum reſpectu, & veluti eo deiecto probitatis, & modeſtiæ muro, omnes omnium hæreſũ ſectæ intromittantur, exequẽtur, & lege etiam ſanciantur, atq; illa omnis patrij iuris reuerẽtia, pudorq; ſoluatur, qui ad hunc diem impetũ incidentis exitij maximè ſuſtinuit, omniſq; antiqui moris diſciplina qua partũ, & cõſtitutũ hoc imperiũ habetis, immutetur, & corruat. Ac vos eandẽ vobiſmet ipſis fraudẽ ſtruatis, qua Samſon Philiſtęos hoſtes magna olim clade affecit, qui caudas vulpium cũ iunxiſſet ad caudas, faces ligauit in medio & igne ſuccẽdens dimiſit, vt huc illucq; diſcurrerent, vnde cõcremata eſt terra Philiſthim. Quid enim eſt aliud ſectarũ uarietatẽ per ſpeciẽ ciuilis concordiæ coagmentare, & componere uelle, quàm nectere vulpium caudas, quo auerſis capitibus grauius inter ſe, aſperiuſq; diſſideant, & cõflictentur? Quid verò hanc ſectis omnibus licentiã, audaciamq; addere, niſi faces ad incendendam Remp. diſcurrentium vulpiũ agmini alligare? Ratio finiendarum diſcordiarũ, pacemq; tum ſingulorũ animis conſciẽtijſq; , tum vniuerſæ Reip. conciliandi, ex ipſis haurienda eſt ſacrarũ litterarũ documentis: cum enim, vt eſt in Deut. difficile & ambiguũ apud te iudicium eſſe perſpexeris, inter cauſam, & cauſam, leprã, & nõ lepram, ſurge & aſcende ad locũ, quem elegerit Dñs. Quod in nouo quoque teſtamento nos Spiritusſanctus docuit, cũ facta Antiochię ſeditione nõ minima, Paulum, & Barnabam ſuper ea quæſtione aſcendere Ieroſolimam voluit. Hanc nos legem præſcriptionemq; Dei ſi ſequeremur, ad hanc ſi noſtros ſenſus dirigeremus, in captiuitatem redigẽtes intellectũ in obſequium Chriſti, nunquã incerti animis vagaretur, errantes in inuio, & non in via, ſed inha-

Pſal. 144.

Cap. 17

inhabitaremus vnius moris in domo, ſoliciti ſeruare vnitatem ſpiritus, id ipſum ſapere, fidem tenere, nō præuaricari in adinuentionibus noſtris, non tranſgredi fines antiquos, non transferri in aliud Euangelium, quod non eſt aliud, non claudicare in duas partes, nō indui veſte, quæ ex duobus contexta ſit, qua interdixit populo Deus, vt intelligeret vno ſenſu ſe, vna & ſimplici religionis fide colendū eſſe. Siue enim id agitur, vt licentiæ omnium hæreſum habenæ permittantur, ſiue vt in huius alicuius nomine, reliquæ deliteſcant, perinde cōculcatur filius Dei, & ſanguis teſtamēti polluitur, perinde res perturbantur. Quoniam aut omnes ſectas pari iure eſſe neceſſe eſt, aut aliam ab alia exagitari, euinci, expelli. Sic enim Iſaias ad eos loquens, qui dicebant percuſſimus fœdus, & quę ſequuntur. Coanguſtatū eſt inquit ſtratū, ut alter decidat, & pallium breue vtrūque operire non poteſt. Sed ne alter quidem alterum feret: qui enim poterit, cui aliqua tangat animum religio, aut aliorum hæreſes, quas improbas, & peſtiferas putat, ſuæ diſciplinę pallio obtectas diu fouere, aut ſuam ipſe ementiri ſectam, fidemq; alterius nomini ac rationi obnoxiam ducere? Non hæc in Chriſtianum animū cadit pietatis negligētia. Nam fidem tum ritè, atq; pie colere, tum nō ſimulate pręſeferre Chriſtianum eſt. Quod ſi hebetentur cōſcientię ſtimuli, ut dent requiem animabus ſuis, & dicāt, iam nō eſt propheta, & nos nō cognoſcet amplius. Quid eſt aliud quod expectetis, niſi vt cōtra quā pręcepit in Leuitico Deus: serētes agrum veſtrū diuerſo ſemine, in boue & aſino, in diſſimilium religionū iugo, aretis vobis impietatem, & dicat inſipiens, nō eſt Deus, ſintq; dies noſtri dies blaſphemiæ, ſuper quam reueletur ira Dei? Curabant, inquit, Hieremias, contritionem filiæ populi mei, cum ignominia dicētes, pax, pax, & non erat pax, confuſi ſunt, quia abominationem fecerunt, quin potius confuſione nō ſunt cōfuſi & erubeſcere neſciuerunt. Quamobrē cadent inter ruentes, in die viſitationis ſuæ ruent, dicit Dominus. Hæc dicit Dn̄s, ſtate ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus veſtris, & dixerunt nō ambulabimus, & conſtitui ſuper eos ſpeculatores

res, & dixi, audite vocem tubæ, & dixerunt non audiemus. Ideo audite gentes, cognoſce congregatio quanta ego faciam eis, audi terra, ecce adducam mala ſuper populum iſtũ, fructum cogitationum eius. Verum hæc pluribus eſſent verbis diſſerenda, ſed in præſentia id tantum dicam, me ſalutis veſtræ cauſa ſæpe ex intimis animis orare Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum, qui eſt pax noſtra, qui facit vtraq; vnũ, per crucem interficiens inimicias in ſemetipſo, vt diſſentientes recõciliet in vno corpore Deo, & occurramus omnes in vnitate fidei, & agnitionis filij Dei, & per ipſum habeamus acceſſum in vno ſpiritu ad patrem. Vos modo ſingulare hoc Dei ipſius beneficium agnoſcite, qui Remp. veſtram in Catholicæ religionis fide ita fixit, vt nemo tam alienus ab ea inueniri poſſit, quin fateatur, nemo patriæ amans, quin donum hoc diuinæ benignitatis complectatur, & ſaluum velit. Data igitur a Deo facultate, Deo auctore vtamini, & libertatem ſanctiſſimè & firmiſſime a maioribus ſtabilitam, ijſdem veſtigijs tranſmittite poſteris veſtris, & concordibus animis, ſtudijsque decernite Regem eum, qui maximè Reip. vtilis ſit futurus, qui veſtro beneficio ad veſtram ſalutem vtatur, qui cum a vobis creatus, & tanquam genitus Rex fuerit, euadat ipſe patriæ & veſtrum omnium pater, amator Reip. conſeruator legum, idem erga Deum pius, fortis aduerſum hoſtes, in gubernandis, gerendiſque rebus prudentiam, in iure dicendo iuſtitiam diligentiamq; adhibeat, in domeſtica conſuetudine humanitatem, in omni publica actione dignitatem, maieſtatemque retineat, nec ipſe voluptatibus occupetur, nec iuuentutem langueſcere otio patiatur, ſed exemplo & præmijs ad priſtinam bellicæ diſciplinæ laudem excitet. Sit regia domus tanquam templum pudoris, modeſtiæ, religionis, vt liberi veſtri, quos in Regis miniſterium traditis, ex ea veluti ſchola virtutum, digni parentum honoribus, euadant. Haud ego ſum neſcius Regem his præditum ornamentis oratione effingi facilius, quàm inueniri. Verum neque defuturus vobis eſt quærentibus, & vt talem habeatis, multum in vobis ipſis poſitum eſt, non ſolum deligendo illo, ſed etiam inſtituendo. Quem

enim

enim non optimum Regem efficietis, ſi quot eſtis ſenatores, tot monitores eſſe volueritis? Si Regis ſalutē, quàm gratiam malueritis, ſi publica cōmoda priuatis vtilitatibus antetuleritis, ſi deniq; hoc propoſitum habebitis, diligentiſſimeq; operam dabitis, vt & vos ex legū pręſcripto Regis imperio obedientes ſitis, & Rex ita obſequio vtatur veſtro, vt ſe liberis, & volentibus imperare intelligat. Hoc enim modo & res Polonia augebitur, & libertas veſtra integra conſeruabitur, nec dominatu offenſa, nec corrupta licentia, quæ plerunq; falſo libertatis nomine, exitioſam ſeruitutem concipit, ac parit. Ad hunc ſtatum rerum veſtrarum tuendū, cōmuniendumq; vos Pontifex hortatur, atque ad eam rem mihi mandauit vt & in pręſentia vobis, & paulò poſt ſimul vobis, ſimul Regi veſtro ſummum paterni animi ſtudium pollicear, ac deferam, vt omnia vos, quæ nō ſolum conſeruando, ſed etiam ornando, atq; augendo huic regno ſint, haud aliter ab ſe, quàm ab optimo patre poſtulare, atq; expectare velit. Tum ſicuti vobiſcū egit de rege ex vſu, req; veſtra eligendo, vobiſq; auctor fuit, nihil a maiorum cōſuetudine, rationibusq; diſcedendi, ita Regem quem elegeritis verbis ſuis admonere me voluit, vt memor accepti a vobis Regni, parem vobis gratiam referre ſtudeat, nihilq; ſibi aut ad fidem præclarius, aut ad charitatē optatius, aut ad ſtabilitatem firmius, aut ad nominis ſui commēdationem amplius ducat, quàm vt hanc Remp. hoc libertatis ius ſarctum tectum retineat, ac defendat. Me verò ipſum hic cōmodis, & vtilitatibus veſtris, quantum opera, atq; ſtudio meo effici poſſit, diligēter S. Sanctitas inſeruire iuſſit. In quo quidem ſi quantū voluntatis atque animi, tantundem facultatis eſſet de vobis merēdi, & ſi amori, & pietati erga vos meę nunquam ſatisfacturus eſſem, vobis certè ipſis ſatisfacerem. Hęc ſunt de Regno, de vobis, de nouo Rege, S. D. N. mandata, hæc vota parentis Reip. hæc ut conſequi poſſitis, ſuis ille vos precibus Deo cōmendat, id maximè orans, vt actionē hanc, in qua veſtra omnium ſalus vertitur, ſuo ſancto ſpiritu regat, vt his Comitijs eum Regem conſentientibus ſtudijs renuntietis, ſub quo florentiſſimi, beatiſſimique viuatis.

DE MODO ET ORDINE ELECTIONIS NOVI REGIS POLONIAE APVD VARSOVIAM HABITAE 1573.

STANISLAVS CARNCOVIVS EPISCOPUS Vladiſlauienſis, Reuerendiſſimo Domino Martino Cromero, coadiutori & deſignato Epiſcopo Varmien. S. D.

REVERENDISSIME Domine. Cogitanti mihi, & vetera memoria repetenti, ex omnibus beneficijs Regno à Deo Opt. datis & conceſſis, nullum nec ad gloriam illuſtrius, nec ad vtilitatem maius, nec ad perfectionē pulcherrimi operis magis abſolutum, nobis & Regno huic contigiſſe videtur, quàm quòd eius gratia negocium electionis promouente, conſenſu omnium Sereniſſimum Principem Henricum, fratrem Chriſtianiſſimi Regis Galliarum, Andium Ducem, in Regem noſtrum elegerimus. Vere enim iudicando, nemo mortalium facilè credebat, vt tot nationes, lingua, moribus, legibus ſtudijs, voluntatibus, religionibus, inter ſe diſſidentes in vnum, eumque externum, terra marique diſiunctiſſimum conuenirent. Ex tam enim Senatorum & equeſtris ordinis conuentu frequentiſſimo, iam cum in ſuffragia itum eſſet, vix quarta pars aliò voluntates ſuas contulerat, ita vt nulli iam dubium foret, eum & non alium quemquam nobis regnaturum fuiſſe. In quo eligendo quoniam ceſſarunt omnia impedimenta & difficultates, redijtq; in ſumma licentia charitas, prudentia, ordo, modus, obſequium: à domino factum credimus; & eſt mirabile in oculis omnium. Quo magis tam inuſitatam & inauditam clemen-

C tiam

tiam ſilentio præterire nos minimè oportet: quinimmò omnes immenſas Deo Optimo gratias agere decet, qui non ſolum nos Regnumque hoc ab interitu & opprobrio vindicauit, ſed etiam ſalutem Reipub. noſtræ, libertatemque Regni, quâ præ cæteris gentibus gloriamur, ſartam, tectam repræſentauit. Vt igitur tale & tantum beneficium in animis, & memoria hominum non ſolum vigeat, ſed etiam ad poſteros transmittatur, eisq; exemplum ad imitandum prodatur, confeci Commentarium interregni, quem Do. veſtræ Reuerendiſſimæ mitto: & ab ea (quæ primas, vt olim Saluſtius in Romana, ſic illa in hiſtoria noſtra, ſumma cum laude nominis per vniuerſum orbem obtinet) maiorē in modū peto, vt eum colophonem hiſtoriæ addat. Et initia quidē, progreſſus, quid quoq; loco actum ſit, ex eo ipſo commentario deprehendes, cæterum de ratione cōſiliorum & progreſſu electionis, nonnulla Reuerendiſſimæ P. veſtræ ſcribenda decreui.

Equidem in omni electione hæc tria à directoribus prouidenda eſſe exiſtimo. Primum vt ij qui eligunt, ſine vllo metu, eligendi poteſtate vtantur. Deinde, vt recto iudicio, ordine debito, & modo legitimo. Poſtremò, quod eſt omnium maximum, vt cum ſummo timore domini ad electionem accedant. Ea omnia in electione Regis noſtri, ſumma fide, cura, & diligentia à Senatoribus prouiſa & facta eſſe reperies. Principio enim confinia Regni præſidijs firmanda: deinde pacem domeſticam, conſtitutis iudicijs extraordinarijs aſtringendam decreuerunt. Poſtremò, modum & rationem eligendi Regis tam popularem adinuenerunt, à qua nullus eques excluſus, nullus circumuentus eſſe videretur. Diē & locum Comitiorum, habito de more & lege inter ſe conſilio edixerunt. Sed quia omnes vnum oppidum capere non poterat, de mādato Senatus per officiales Regni ſingulis Palatinatibus, oppida & pagi adiacētes pro diuerſorijs diſtributi ſunt. Ad communia vero conſilia capienda deſignatus eſt ager prope Ciuitatem pace publica ſacratus. Erat campus latè patens, in quo extenſum erat tentorium ingentis amplitudin: is circumquaque ambiebant tentoria Palatinatuum ſi-

ue

ac terrarum. Conuenit frequentiſſimus Senatus, & numeroſiſſimus equitum exercitus. Poſtquam igitur externorum Principum in maiori tentorio auditæ ſunt legationes, & ab vniuerſis conclamatum eſſet, vt declarante & proponente Archiepiſcopo Gneſneñ. velut Primate Regni ad eligendũ Regem procederetur, factum eſt, vt decernente eo ex ſententia Senatus, vnuſquiſque ſe ad tentorium terræ ſiue Palatinatus ſui iuxta præſcriptum receperit. Iuere quoque Epiſcopi & Senatores: ac quem quiſque locum de more & conſuetudine in terris & Palatinatibus viuente Rege habebat, eundem tum defuncto obtinebat. Hymno itaque ad inuocandã ſpiritusſancti gratiam in ſingulis Palatinatibus decãtato: videret Paternitas veſtra Reuerendiſſima mirifica hominũ ſtudia in Henricum Regis Galliarum fratrem propendentia: videret alios lachrimas fundere, & vota pro eo Deo nũcupare, alios haſtas lilijs inſignire: audiret diuerſis in locis voces poſtulantium cum reſonare: alios ita in ſuffragia ruere, vt actum eſſe putarent de Republica, niſi is eligeretur. Tantus inerat animis ardor, cum incredibili cupiditate coniunctus, tanta vis amoris mentes hominum accenderat. Poſtquam igitur Senatores cum ijs, qui erant ab equeſtri ordine ad audiendas legationes deputati, poſtulata & capita earundem retulerunt: equites ſuo quiſque loco ſententiam liberè nullo eos impediẽte, aut ſermonem interrumpente, à maximo vſque ad minimum, cum cauſarum etiam explicatione, dixerunt: pręeuntibus & informantibus Senatoribus, à quibus conciliabantur ſententiæ, & ad minimum numerus candidatorum redigebatur. Tandem finitis ſententijs, nomen candidati & nomina equitum, ac numerus ſuffragiorum in ſcripturam redigebatur, & ſigillis eorum, quò cum maiore fide Senatui exhiberetur, obſignabatur: manebat tamen cuiq; poteſtas mutandi ſententiam. Relatæ ſunt deinde ſcripturæ ſigillis obſignatæ ad maius tentorium in conſeſſum Senatus: lecta & recitata ſunt nomina candidatorum, itemq; numerus & nomina ſuffragatorum vniuſcuiuſque. Si numerus ſuffragiorum ſpectetur, vicit Henricus omnes, & adeò quidẽ vicit, vt cæteri om-

-nes paſſet eum non adęquarent. Sed cum in electionibus liberis id maximè cauendum eſſe videatur, vt non ferrum, non aurum, non acclamatio, ſed recta ratio, publica vtilitas, & perſuaſio locum habeat: res deducta eſt ad iudicium & ad calculum examenque rectæ rationis. Ego autem id factum eſſe reor ad amplificandam, & eo magis illuſtrandam Regis electi laudem & gloriam: quò manifeſtè conſtaret, eum non caſu & fortuna, non vulgari aut iuuenili impetu, aut temeritate, vel fauore: Sed interpoſita autoritate & iudicio grauiſſimo, Regem eſſe creatum. Cùm multum diuq; deliberaret Senatus, quæ ratio eſſet ineunda examinis, nulla melior viſa ea, qua Græci & Romani olim, ac vt audio, nunc Veneti in deliberationibus grauiſſimis tam actionum publicarum, quàm cauſarum forenſium vtuntur. Editi ſunt Aduocati, ſingulis candidatis Senatores tres, (ex quorum numero ego quoque eram) qui eorum partes, ſeruato cuique ſuo honore, tutati ſunt. Res acta eſt eiſdem iudicibus quibus & teſtibus. Non erat illud certamen adulationis ſed veritatis: certabat ratio cum ratione, argumentum cum argumento, cauſa cum cauſa. Expendebantur rationes honeſtatis, commodorum, incommodorum, & periculorum. Nihil ibi intentatum relictum eſt, quod ad hoc negotium ſpectare quoquo modo videretur. Rigidum ſanè & acre examen, ſed nobis ac Reipub. noſtræ neceſſarium, quo libertas, ſalus, & ſecuritas Reipublicæ Regni fundabatur. Erant nonnulli Primores Regni, viri claritate familiarum præſtantes, & omni genere laudis conſpicui ad gubernacula Regni nominati, & multos habebant ſuæ cauſę fautores. Quamuis autem ij virtuti ſuę confiderent, Sed vt ne cęſura de abſentibus haberetur, & quòd imperaturus omnibus non ſolum ex noſtris, ſed ex omnibus eligendus eſſe videretur, vltrò & ſponte ſua ante inceptum examen ſuffragiorum prærogatiua ſeſe abdicarunt. Porrò poſt conflictum rationum & argumẽtorum, ex his qui Henrico ſuffragabantur, nemo: qui verò alijs candidatis, plerique de ſententia ſua deceſſerunt, & ſuffragia ſua in electum tranſtulerunt. Qui autem ex his tenaciores ſui propoſiti erant, (vide ſingulare ex-

emplum

exemplum fraternæ charitatis) cum aſſurrexiſſet Senatus, preceſque & auctoritatem interpoſuiſſet, factum eſt, vt ij fraternæ charitati honorem haberent, & mutatis ſententijs ſuis, Gallorum Regis fratri adſtipularentur. Sic illa die concordia Regis noſtri virtute, noſtro conſilio quęſita eſt. Poſt talem conſenſum poſtulatum eſt ab Archiepiſcopo, vt electum de more renunciaret Regem: ad quod is paratus erat. Sed quia ea die ſol vergebat ad occaſum, ne quid ea res mali ominis haberet, petentibus alijs, renunciatio in diem perendinum dilata eſt. Actum eſt id pridie Pentecoſtes, interceſſerunt dies ſacri Pentecoſtes, quibus tuba euangelij per vniuerſum mundum intonuit. Stuporis ſanè & admirationis res plena eſt: quis enim vnquam audiuit, vel legit prorogari non ſolum in dies aliquot, ſed in horam conſenſum electionis, cum vnum punctum & momentum temporis magnam conuerſionem animorum afferre ſoleat? Sed voluit Deus Opt. Max: prædeſtinationis ſuæ immutabilem voluntatem hac conſtantia voluntatis noſtræ clareſcere. Die Lunæ ſequenti nihil de voluntate, & ardore animi imminutum: quamobrem nulla interpoſita mora, cum de alijs inter nos non conueniret, de Henrico in Regem renunciando nihil controuerſię erat. Itaque Reuerendiſſimus Do. Archiepiſcopus & electo Regi & Reipublicæ, totique Chriſtiano orbi fauſta præfatus, Henricum Andium Ducem ſolenni ritu Regem renuntiauit. Quam renuntiationem quę & quales acclamationes, egregiæ voluntatis ſignificatrices ſubſecutæ ſint, res eſt ita nota vt non indigeat longiori ſermone. Totus ille campus reſonabat gratiarum actionibus, clangore & ſonitu tubarum, omnes priuatim & publicè, domi & foris vehementer lætati, fauſta & fœlicia Regi ſuo ex animo precabamur. Eadem die acciti ſunt Gallici oratores, ad tractandum de conditionibus oblatis: quæ licet luculentes eſſe viderentur, non tamen tantæ, vt prius de ijs verbum faceremus, quàm in perſonã Regis conuentũ fuiſſet. Ex quo apparet, noſtros in Rege eligendo non ſpectaſſe commoda quę offerebantur, ſed ſolã virtutẽ, non quid daret aut ſecũ afferet, ſed

feret, ſed

ſeret, ſed qualis Princeps futurus eſſet. Conuentum de conditionibus. Die demum quarto, de more & conſuetudine, Marſhalci Regni renuntiatum in conſilio a Primate, de omnium ſententia Regem publicarũt cum promulgatione edictorum per vniuerſum Regnum. Quantum iterum ea die lętati ſumus, quãtas Deo patri omnium miſericordiarũ, & publicè, magnoq; ad templum cõcurſu, & priuatim per omnęs domos gratias egimus, omnes norunt qui adfuerunt. Decebat nimirum, vt vltima primis reſponderent, vt hoc negotiũ deſineret in gratiarum actione, cum initium cœpiſſet ab inuocatione ſpiritusſancti. Flere magis libet præ gaudio quàm dicere, cogitanti mihi de ardenti deuotione noſtrorum. Multi Senatorij & equeſtris ordinis viri, antiquo more, ſacramẽto corporis & ſanguinis domini ſe procurarũt, multi condonatis offenſionibus & iniurijs ſuis Reipublicæ, in gratiam redierunt. Hic ego Reuerendiſsimæ. P. veſtræ mirabilem & inuſitatam, ac planè diuinã electionis huius rationem, quantum verbis conſequi potero, oſtendam. Si Deus ſpecie viſibili in terras delatus, ab hominibus dignè excipiendus eſſet, rem neceſſariam omnes iudicarent, vt pręparẽtur animi hominum ad pietatem, reconciliarentur inter ſe diſſidentes, pax priuatim & publicè coleretur, ſacerdos & omnis clerus oraret, turba infantum ac multitudinis ieiunijs ſe affligeret, Duces populi & reliqui ſacramentis ſe procurarent, quo caſtis mentibus, veſtiti charitatis luce, iuſtitiæ margaritis ornati, nitidi honeſtate, Deum dignè exciperent. Simili certè ratione, & ſtudio ad electionem Regis a nobis proceſſum eſt: hac mira varietate virtutum repurgati ad eligẽdum Regem acceſſimus, vaſa noſtra ſordibus vitiorũ exhauſimus, offenſas mutuas & odia depoſuimus, ſacrificia contriti & humiliati cordis obtulimus. Non iudicauimus nos idoneos, vt ipſi ex nobis faceremus electionẽ, eoq; cupiebamus aliquo ſigno doceri de voluntate Dei, qui ſumma hæc dirigit, qui nouit omnia vtiliter diſpenſare, a quo ſolo proficiſcitur omne donum optimum, & omne datum perfectum. Exaudiuit dominus preces noſtras, & voluntatem ſuam nobis declarauit, primum

excitando

excitãdo foris famam nominis electi noſtri, deinde amorem illius nobis inflammando. Vide miraculum. Qua hora de eligendo Rege agi cœptum eſt, eo ipſo temporis puncto & momento, tot nationes, lingua, moribus, & locis inter ſe disiunctiſſimæ in vnius perſonam voluntates ſuas contulerunt. Quid? poterat nè diuinæ voluntatis certius edi teſtimonium, quàm quòd vno & eodem tempore corda & voluntates hominum in unum conuerteret? Non erat hæc res humani cõſilij, ſed Dei opus: ad cuius nutum & mandatum repentè ex nihilo ſubſtiterunt excelſa cœlorum, profunda fluctuum, vaſta terrarum.

Libeat ex his intueri diuinæ benignitatis erga nos clemētiam. Duo mala maximè omnium poſt mortem Regis metuebamus, bella ab hoſtibus, ac motus domeſticos inter ciues. Corrupta enim morum & artis militaris diſciplina, contumacia & dedignatio parendi in eorum locum ſucceſſerat. Suſtulerant ergo tum animos hoſtes, nec iam nobiſcum de ſua libertate, ſed de noſtra ſeruitute certabant. At nunc melius quàm ſperabamus gratia Dei omnia eueniſſe videmus. Redijt terror & metus hoſtibus, obedientia, obſequium noſtris: Moſchus ſe tenet: Valachus pacem petit: Turca nuſquã aliàs legationem magis amicam cum delatione auxiliorum, quàm nunc, miſit. Quid mirer magis, prudentiamnè, fidem, curam, diligentiam Senatus: an verò obſequium & moderationem equeſtris ordinis? Statim enim audita morte Principis, quaſi cõſpiratione facta, Conuentibus actis in Palatinatibus quiq; ſuis, conſtitutis extraordinarijs iudicijs, vt ne qua vis aut cedes fieret, pacem domeſticam firmarunt, & finibus Regni milite ſtipendiario, qui arte militari & viribus polleret, proſpexerunt. quorum pleriq; amore patriæ voluntariè militarunt: alij verò qui ingenio & conſilio pręſtarent, ad Comitia Regni profecti ſunt: quorum tanta reuerentia erga Senatum enituit; vt in eligendo Rege nullum conſilium ſeparatim, nec per ſubmiſſas aliquas perſonas agerent, ſed communia conſilia haberent. Adde, quòd ad electionem procedere noluerint, niſi declarante id ex Senatus ſententia

Archi-

Archiepiſcopo tamquam Primate Regni, cui propriè competit, conſilij ordinem & proceſſum electionis proponere: Conſtabat Marſhalcis ſuum officium: nam præter ius rogandi ſententias, mandante Senatu diſtribuebant hoſpicia, & pacis publicæ cuſtodes erant. Quæ quidem ita ſanctè ab omnibus culta eſt, vt ante & poſt edictum de mandato Senatus promulgatum, nulla cædes, nullum iurgium commiſſum eſſe diceretur. Libet hic commemorare inſigne factum duorum equitum, qui antiquas inter ſe inimicitias gerebant, cum alter alterum in campo pħtenti conſpexiſſet, paucis id animaduertentibus, ſtrictis gládijs ad ſe concurrerunt. Et cùm iàm manus conſerturi eſſent, ſubſtitit vterque, tali ſermone ad ſe vſi: Niſi me reuocaſſet temporis huius ratio, & amor pacis publicæ, ferrum inter me & te finem inimicitiarum hac horâ feciſſet: His dictis vterque nullo accepto vel inflicto vulnere receſſit. Videt Reuerendiſſima P. veſtra in ipſo calore iracundiæ magnam moderationem animorum? Conſtabat etiam in eo actu cuique ſua libertas, nam vniuſcuiuſque nomen & ſuffragium in ſcripturam redigebatur: vt nec cādidatus fraudaretur ſuffragio, nec is qui ſuffragium ferebat, inani libertatis nomine gauderet. Neq; verò quiſquā ſatis dignè laudare poteſt, quòd in territorijs ſiue Palatinatibus iūcti fuerint Equeſtri ordini Senatores, quibus hæc prouincia iniuncta erat, vt in ſuo quiſque territorio ſiue Palatinatu omnes rationes honeſtatis & cōmodorum ad informādos aliorum animos exponeret ſententiasq; conciliaret. Viderat enim prudētiſſimus Senatus, nulla ratione facilius poſſe conciliari diuerſitatem, & contrarietatem ſententiarum, quàm prudentia & auctoritate Senatorum, qui melius cognitas habent rationes ſtatus Reip. neceſſitatis, periculorum, & cōmodorum, ſecutus auctoritatem cuiuſdam aſſerētis: In populari ſtatu Rerumpub. ita demum a vulgo ritè mandari Magiſtratus & officia, cùm iunioribus interſunt Seniores, quorū illi reguntur conſilio. Ac mea quidem ſententia hoc conſilium Reipub. noſtræ ſalutem peperit. Cui autem veriùs cōpetit directio, ſiue moderatio omnium actionum tempore

inter-

interregni, quàm Senatui? dico vnito. Neceſſe eſt enim ad hoc, vt ſit ordinata multitudo, vnum aliquem eminere. Sed quis potius emineat, quàm is, qui ætate, conſilio, prudentia, loco, & dignitate cæteros vincit? Natura hoc ita fert & conſtitutio Reipub. noſtræ. Conſtat enim Rege, Senatu, & equeſtri ordine. Et alia quidem officia ſunt ſenatorum, viuentibus Regibus, alia equeſtris ordinis. Sanè mortuo Rege, tribunalia & iudicia quæ nomine Regis vigorem obtinent, ceſſant & ſilent: autoritas certè Senatoria, ſi unquam certè eo tempore difficili ac periculoſo in repræſentanda ſalute, & in dandis ſanis & ſalubribus conſilijs eluceſcere, & pro ratione iurisiurãdi præ cæteris eminere debet. Sanè tam Reuerendiſſimi Primatis, quàm Senatorum Regni tanta vigilantia emicuit, vt ſeptimo poſt mortem Regis die, triginta plus minus Senatores Louicij veteri more conuenirent ad conſultandum de Republica, alij vltrò, alij literis inuitati. Cernit Reuerendiſſima P. V. corpus Reipub. noſtræ capite quidem, hoc eſt Rege carẽs, viuum tamen nõ mortuum: videt, quomodo in ſalute Reipub. tuenda omnia membra conuenirent, ſuum quodque negocium agit, non ſe in alterius officium ingerit. Miles à finibus hoſtem arcet: Officiales ſiue magiſtratus Regni mãdante Senatu officia obeunt: Senatus lancem, libram, & regulam agendorum tenet: Primas regni omnibus actionibus è ſententia Senatus moderatur & dirigit: Reliqui parent. Ex quibus omnibus ſuperius commemoratis manifeſtiſſimè conſtat, quòd nos cum Regem elegimus ſuo loco, ſuo tempore, ad normam & præſcriptum omnium ordinũ Regni, ſummo iudicio, non tumultuariè: elegimus ſine vlla difficultate, non inuiti nec coacti, non pauci ſed vniuerſi, non vnius ſtatus ſed omnium ordinum conſenſu, non neceſſitate, ſed voluntariè, ſine fraude & dolo. Dolus enim & fraus cum timore domini, fictio cum veritate & charitate, temeritas cum conſilio, non commiſcetur. Elegimus ex abundantia amoris, cum ſumma hilaritate, inſtinctu, vt credere par eſt, ſpiritusſancti.

Fuerit ſanè quiſpiam detractor actionum ſpiritusſancti, & diuinæ voluntati non obtemperans, honoris Regij atq; laudis noſtræ inuidus, qui dicat rem fuiſſe inſtructam. Quamuis & recens memoria facti,& hęc tota ratio eligendi Regis apertam calumniam facilè refutat: tamen augeamus ſuſpitionem, vt diligens inquiſitio adhibeatur: excutiamus receſſus & latebras animorum. Quæram ex eo, à noſtris, an ab extraneis res inſtructa eſt? Si ab extraneis, quomodo veriſimile eſt, quemquam tot nationes, ſpatio terrarum diſiunctiſſimas, linguis & moribus inter ſe diſſidentes, non ſolum obire, ſed etiam ad voluntatem ſuam pertrahere potuiſſe? Sin a noſtris, abſit, vt hoc de fratribus credamus. Nonnulli extranei homines, curſibus ſuis ac literis ſcriptis leuiuſculos rumores & ſuſpiciones inter nos ſparſerant: Deus bone, quàm acriter inquiſitum eſt in ſcripta, facta & dicta hominum? Graue erat, acerbum, & oculis non ferendum ſpectaculum, cum in conſeſſu & cōſpectu vniuerſorum viri nobiles & optimè de Repub. meriti nullo teſte, nullo argumento, nullo iudicè, alieno loco & tempore, ex ſola ſuſpitione in crimen vocarentur. Nec tamen inquiſitiones & vexationes huiuſmodi, quas noſtri Rug appellant, fructu ſuo caruerunt: nam cum non modo nullum crimen, ſed nec ſuſpicio quidem in aliquo ex his hæſiſſet, factum eſt, vt alius de alio benè ſentiret & confideret. Ac mea quidem ſententia, ſi quis diligentius rem inſpexerit, reperiet, nihil plus momenti ad expediendum hoc negotium attuliſſe, quàm quòd mitigatis affectibus, reſecatis ſuſpicionibus, vacui præiudicatis, ſine dolo & fraude, purè, cum timore domini ad eum actum acceſſimus ac veluti turbata aqua oculus nihil videre, poſtquam lutum reſederit omnia penetrarere poteſt, ita nos ſummotis ſuſpicionibus veritatem tamquam lucem aſpeximus.

Hæc eſt vera & ſimplex rei geſtæ narratio, hæc conſiliorum ratio. Hic actus, mea quidem ſententia, æterna memoria digniſſimus eſt, quo nihil illuſtrius, nihil vtilius, nihil pulchrius & perfectius eſſe poteſt. Nihil in eo abfuit quod

adeſſe

adeſſe debuit, nihil adfuit quod abeſſe debuit. Abfuit metus, & quælibet vis, abſuit confuſio, abſuit dolus & fraus: adſuit libertas ſuffragiorum, adſuit deliberatio & iudicium rectum, adſuit ardens ſtudium & ſumma concordia, adſuit pietas & deuotio. Magnum nos certè fructum cum incredibili gaudio in theatrò totius orbis cœpimus libertatis noſtræ, cũ cum optimum ex optimis Chriſtiani orbis Principibus Regem & moderatorem Reipub. noſtræ elegimus. Alijs populis Reges edit ſucceſſio, nobis cum cõſilium ſanum, iudicium rectum, libera voluntas, & chara vnitas, opus verè ſpiritusſancti, electam gẽmam totius Chriſtiani orbis (pace aliorum dixerim) edidit. Non hic ſanguinis coniunctio, non vicinitas, non fœdera, non officiorum ratio valuit. Non quęſiuimus etiam Regem domi, & in gremio gentis nationisque noſtræ: hic nobis optimus & coniunctiſſimus, qui optimus & Reipub. noſtræ præ cęteris vtiliſſimus eſſe videbatur. Quod Henrico Andium Duci merito contigit. Quis enim eo eſt ſplendore familiæ clarior, nobilitate virtutum pręſtantior, vſu & experientia rerum exercitatior? qui maiora ætate ſua magnarum virtutum edidit ſpecimina. Regnum Galliæ vicaria poteſtate Chriſtianiſſimi Regis Galliarum fratris, fœliciſſimè adminiſtrauit, rebelles fortiſſimè pugnans vicit, pacem publicam conſtabiliuit: diſciplinam rei militaris reſtituit. In quo modeſtia, iuſtitia, pietas, & omnis chorus virtutum ſedem & domicilium fixiſſe perhibetur. Cumque habeamus hos ſponſores & fideiuſſores, atque adeò pignora, ſperamus diuina freti benignitate benè cæpta ad optatum exitum deductum, & omnia noſtra atque illius conſilia actionesque cœlitus gubernatum iri. Nihil iam reſtare videtur, niſi vt Deus Opt. ſaluum & incolumem ad nos deducat. Ego certè pro aduentu illius, quemadmodum ipſe orare non deſiſto, ita clerus per diocæſim meam iuxta formulam à paternitate V. Reuerendiſſima conſcriptam continuè orat: & confido in domino, eum fore Ducem itineris, qui autor fuit honoris.

Hæc

Hæc prolixius quàm inſtitueră paternitati V. Reuerĕdiſſimæ ſcripſi, & eidem fortaſſe moleſtus fui, quòd cum paternitatĕ V.Reuerendiſſimā patriç ac Reip.cognouerim amantiſſimam, nota eidem omnia conſilia noſtra eſſe volui, vt a me haberet veritatem hiſtoriç. Ego enim omnibus his interfui, & ſtatim poſt mortem Regis ad Reuerendiſſimum Do.Archiepiſcopum Primatem Regni, tanquam ad moderatorem harum actionum accurri, eumque præſens conſilio & opera iuui. Maioremque in modum Reuerendiſſimam P.veſtram rogo, vt in eo actu poſteris transmittendo elaborandum ſibi omnino putet. Quo nomine nos omnes, tota Polonia, & poſteritas Reuerendiſſimæ P. V. plurimum debere profitebimur. Datum VVladiſlauiæ 21. Septembris, 1573.

STANISLAI CARNCOVII EPISCOPI VVLADISLAVIENSIS AD HENRICVM VALESIVM POLONIARVM REGEM DES. PANEGYRICVS.

SI aut res ipſa id deſideraret, aut verò per rationes regni publicas licitum nobis id fuiſſet, Sereniſſime Rex, profectò nihil libentius hoc tempore feciſſet tum Senatus ipſe ampliſſimus, tum Equeſter ordo vniuerſus, quàm, vt frequentes admodum hunc in locũ, honoris tui gratulationisq́; cauſa, confluerent, & lætitiam, quam ex hoc fœlici tuo ad ſe aduẽtu capiũt, præſentes pro ſe quiſq́; teſtarentur. Verùm quoniam & rei quidem ipſi aliter ſatisfieri poſſe videbatur, & præſens ſtatus temporum reipub. noſtræ, tantum concurſum in hoc loco, quantus ex omnium ordinum hominumque conuentu futurus erat, nõ ferebat: iccirco nos vice omniũ ablegati ſumus, qui his partibus apud te pro omnibus defungeremur. Quod ſanè, pro eo ac debemus, facimus, teque Regem à nobis prius expetitum, mox electum, nũc verò tandem ad nos fœlicibus auſpicijs aduentantem, omniũ nomine, ſumma cum veneratione excipimus, & exceptum optimis omnibus ominibus proſequimur, aduẽtumq́; hunc tuum verè & ex animo, cùm tibi, tum reipub. noſtræ gratulamur. At quanta quæſo alacritate animorum? Equidem ſi nos ſpectas, quos coràm intueris, tanta alacritate, quantam maximam capere animi noſtri poſſunt: ſin eos, à quibus tibi obuiam prodire iuſſi ſumus, profectò nulla eſt tanta dicendi copia, quę incredibilia illorum erga te ſtudia verbis cõſequi, nulla tanta ingenij vbertas, quæ immenſam illam lętitiæ vim, quam ex om-

ſibus tuis rebus bonis capiunt, ſatis comprehendere poſſe videatur. In quo campum mehercule illum Varſouienſem, qui electioni tuę dicatus fuit & conſecratus, appellamus: qui quidem donec præterlabentis Viſtulæ fluctibus alluetur, teſtis erit locupletiſſimus egregiæ noſtræ erga te familiamque tuam regiam voluptatis. Appellamus etiam in eo cùm vniuerſum illud electionis tempus, quod cõſiliorum actionumque noſtrarum ad tuam gloriam deſtinatarum fuit conſcium, tum verò imprimis fauſtam illam, & in omnem poſteritatẽ Gallici Polonicique nominis memorandam diem, qua te, concordibus admodum omnium non ſolùm ordinum, ſed etiam hominum ſuffragijs, Regem noſtrum renunciauimus: quæ quidem dies teſtis eſt eritq; in perpetuum, noſtræ nõ modò de tua virtute, induſtria, ſapientia, felicitate, præclariſſimæ opinionis: verumetiam de rebus tuis proſperis & ad voluntatem fluentibus ſingularis gratulationis. Etenim cum primum in ipſo electionis noſtræ initio, ſanctum Dei Spiritum ſollemni hymno ſupplices de more venerati eſſemus, vidiſſes confeſtim, alios præ gaudio & iam tum erga te ſtudiò ſingulari, lachrymas fundere, ac pro te Deo Opt. & Max. vota nuncupare, alios haſtas ſuas lilijs tuis candẽtibus inſignire: audiſſes verò deinde alios extra ſuffragia, ſuis vocibus tuum nomen aſſiduè ingeminantes: alios autem in media ferendorum ſuffragiorum religione, ita nomini deuotos & addictos tuo, vt, niſi tu Rex noſter eligereris, actum eſſe propemodum putarent de repub. ipſa vniuerſa. Quid dicam te rege electo & renuntiato? Muta medius fidius ipſa & inanima, campi, ſyluæ, prata, nemora, agri, fluuij, ripæ, laudes tuas, permiſto tum hominum applauſu, tum auium cõcentu, tum equorum hinnitu, perſonare quodammodo videbantur. Atque hęc quidem, etiam tum abſente te, & Rupellana obſidione ita in Gallia occupato, vt in illo ſtrepitu armorũ, vix, Poloniæ noſtræ meminiſſe poſſes, apud nos ſic fiebant: quid nunc cenſes, cùm te, opem, ſalutem, præſidium, &, vt vno verbo dicam, Regem noſtrum, ſaluũ & incolumem, ad regnũ tibi diuinitus decretum, à nobis delatum aduenīſſe, cæteri paſſim omnes audiunt, nos verò, quos hic publico nomine coràm

 adeſſe

adeſſe vides, etiam præſentes intuemur? Equidem vt guſtum iam nunc aliquem habere poſſis eius lætitiæ, qua omnes regni ordines, ſacri, profani, ſummi, medij, infimi, ex aduētu iſto tuo proſpero & ſalutari perfunduntur, recenſebo tibi breuiter totius electionis noſtræ rationem. Sic enim te ipſum, & pauló antè diuinitus ad inclyti huius regni gubernacula, ſumma noſtra voluntate electum ac vocatum eſſe intelliges, & nunc aduentantem, ſingulari cum ſtudio excipi a nobis, & regno inuitari perſpicies & cognoſces.

Ac mihi quidem tribus potiſſimum temporibus eluxiſſe videntur in hac electione ſingularia tum Dei Opt. Max. de te iudicia, tum gentis quoque ac nationis noſtræ erga te ſtudia. Nam & renunciationem ipſam electionis, antecesſerunt nonnulla eiuſmodi, quæ iam tum noſtrorum hominum erga te ſtudia non obſcurè præſeferre videbantur: & deinde, tam in renuntiatione ipſa electionis, quàm poſt renūtiationem etiam ipſam, ea conſecuta ſunt, quę maximo tibi argumento eſſe debeant ardentiſſimæ noſtræ erga te voluntatis. Quæ tu ſanè hoc loco dum breuiter cognoſcis, debebis profectò & honorē quidem Domino Deo debitum tribuere, & nos quoque ex eiuſmodi noſtro merito, ꝓ ſingulari tua humanitate adamare.

Nam cùm reſpublica noſtra tribus maximè hominum ordinibus contineatur, Regia poteſtate, quę imperat, Equeſtri ordine, qui paret, & Senatorio, inter hos interiecto, qui conſulit: profectò exempto ex rebus humanis Rege Sigiſmundo Auguſto, ita vt nullus tum alius nobis ſupereſſet Rex, ſiue natura factus, quod eſt prorſus a legibus & moribus noſtris alienum, ſiue electione noſtra deſignatus: cōſtabat in vniuerſum, omnem regendæ & adminiſtrandæ reipub. rationem ad Senatum & ad patres neceſſariò redijſſe: utpote quorū ętas, dignitas, conditio, alterius illius in repub. alioqui honeſtiſſimi ordinis ætatem, dignitatem, conditionem, ſine dubio antecellat. Cumque adeò inter patres ipſos, magna quędam & pręcipua excellentia ac pręſtantia ſingularis, Archiepiſcopis Gneſnenſib. legibus ac moribus regni noſtri ſit attributa: qui & Rege ipſo viuo primas partes ſecundum eum in regno obtinent, &

eo vita functo, omnia publica conſilia moderantur more maiorum: hoc quidem in omnes partes tutius, quòd, cùm inter eccleſiaſticos homines, quibus perſona regia rectè imponi nō poteſt, cenſeantur, a ſuſpicione regni affectati prorſus ſint remoti. Inde factum eſt, vt redacta ſanè repub. rege mortuo in Senatus poteſtatem, vt diximus, confeſtim data ſit a nobis opera, vt conuentus Senatorum, cùm alibi, tum Louicij imprimis ſeptimo ferè poſt regis obitum die, & deinde aliquanto poſt Varſouiæ, per nos haberentur. Quibus quidem vtriſque in conuentibus cum Archiepiſcopus ipſe non ſolum intereſſet, verumetiam, vti oportuit, præeſſet, prouiſum eſt dilig ēter præter cætera quæ ad futuri regis electionem pertinebant, vt modus quoque & ratio inueſtigaretur, atque etiam de ſententia omnium præſcriberetur, tum regni finium milite firmandorū, tum iudiciorum deniq̄ue domi conſtituendorum per tempus interregni. Vt ita duo firmamenta duobus illis malis opponerentur, quæ tum temporis regno ipſi maximè impendere, & maximum periculum creare poſſe videbantur. Nam & mores profectò ipſi impunitate ſuperiorum temporum corrupti, licentiam magnam in populo generauerant, quę neceſſario videbatur eſſe rigore iudiciorum aſtringenda: & deſuetudo præterea rei militaris in animis noſtris, quos nō mediocriter ocio illo diuturno elanguiſſe, hoſtes ipſi perſuaſum habebant, facile, per hanc occaſionem regis mortui, incurſiones eorum in hoc regnum potuit excitare: quæ ſanè, niſi terrore armorum & præſidiorum noſtrorum oppoſito, rectè reprimi nō potuerunt. Itaque duabus his rebus perfecimus, Rex, vt per totum hoc interregni tempus, quod fuit, vt ſcis, pluſquam annuum, regnum ipſum primo integrum, nec quicquam ex eo ſtatu, in quo a moriente rege relictum fuit, per hoſtes externos diminutum, deinde vero nullis nouis difficultatibus domeſticis implicatum, per Dei gratiam conſeruauerimus. Quæ res ſi fortè olim non vſque adeò ad te pertinuit, cum tu necdum Rex noſter creatus eſſes, nec inter competitores regni noſtri ſolus numerarere, nūc planè diuinitus tota ceſſit in beneficium tuum: cum regnum ipſum per dei gratiam inis incolume, & nullis

recens

recens excitatis difficultatibus impeditum. Sed quid poſtea factum eſt? Dicam, ut iam propius res ipſas tuas contemplari incipias. Quæ enim hactenus dicta ſunt, ea magis ad conſtituẽdas interregni rationes, ante noui regis electionem, quàm ad electionem ipſam videntur pertinuiſſe. Cæterum conſtituto iam ex S.C. die & loco eiuſmodi electionis, conſtituto autem ad Varſouiam in campo Camionenſi, ad diem Aprilis quintam, cõuentum eſt magno Senatorum & infinito Equitũ numero: qui quidem conuentus eiuſmodi, omnium intuentium oculis, delectus cuiuſpiam frequentiſſimi, vel potius centuriatorum Romanorum comitiorum ſpeciem repręſentare videbatur. Vbi exauditis ante omnia, in maximo tabernaculo, quod de induſtria cõmunibus omnium Palatinatuum negocijs militariter poſitum ac præparatum fuit, externis legationibus, quæ ſanè nec paucæ numero, nec dignitate mediocres erant: a pleriſque enim ſummis orbis terrarum principibus & monarchis miſſę & ablegatæ fuerũt: poſteaquam a Nobilitate ad electionem conclamatũ, & ab Archiepiſcopo Gnenenſi, qui ſemper habitus eſt princeps: & os Senatus, decretum ac pronunciatum eſſet, vt in ſingulorum Palatinatuum tentoria, quæ maximo illi tabernaculo vicina, circumcirca fixa ſortè ac locata erant, veluti in tribus quaſdam & claſſes diſcederetur: tum repetitis ſummatim capitibus ſingularum legationũ externarum in ſingulis Palatinatibus, propter eos, qui exponendis illis aut adeſſe ipſi tam frequenti numero, aut vero, etiam cum adeſſent, exaudire forte eas non potuerunt: & repetitis quidem per Senatores ipſos, ac eos prætérea, quos Nobilitas ipſa ex ſe, ad exaudiendas & ſibi referendas legationes eiuſmodi, iam antea deſignarat, itum eſt in ſuffragia. In quibus ferendis (libenter enim ea perſequimur, quę ad demõſtrandam ſingularem huius iſtius electionis noſtræ cautionem videntur pertinere) ea moderatione vſi ſumus, vt neque quiſquam noſtrum ſuffragio excludi, neque idem ex aduerſo libertate ſua abuti videretur. Dixit enim qui voluit, & quod voluit, & quandiu voluit, Senatoribus tamen præeuntibus, & varietatem ſententiarum conciliantibus, & candidatorum

torum numerum ad minimum, quoad eius fieri potuit, redigẽtibus, & deniq; nomina tũ candidatorũ tum ſuffragatorum in ſcriptum referentibus, & ſigillis præterea cuiuſque obſignantibus ſic tamen, vt mutandę ſuæ cuique ſententiæ poteſtas ad extremum remaneret. Quid tum poſtea? O ſingularem & planè diuinam ſortem tuam. Referuntur tabellæ ſuffragiorum ſcriptæ & obſignatę, in maximum illud tabernaculum, & in conſpectum Senatus vniuerſi. Leguntur & recitantur nomina tam candidatorum, quàm ſuffragatorum. Ecce autem primã honoris tui prẹrogatiuam. Vincis enim, Henrice, iam tum quoque, & ſuperas ſuffragiorum numero competitores omnes: & uincis quidem ſic, ut, ſi numero ſolo ſtandum eſſet, tu reliquos omnes, illo iam ipſo tempore, longo poſt te interuallo relinqueres, & ipſe ſine mora Rex euaderes. Verùm id quoq; ad maiorem laudis & gloriæ tuę materiam ac ſegetem, aliquantiſper dilatum fuit. Nam cùm Deo imprimis Optimo & Max. qui tui capitis tuiq; honoris ſingularem curam gerit, deinde nobis etiam ipſis, qui te Regem habituri eramus, parũ viſum eſſet, te numero ſolo ſuffragiorum Regem deſignari, niſi etiam ponderibus ipſis & momentis ſuffragiorum à nobis deſignarere, inita eſt altera quoque Regis eligendi ratio, a moribus planè aliarum cùm veterum tum recentium bene ordinatarum Rerumpublicarum minimè aliena, vt nimirum ſui cuique candidato veluti patroni & aduocati ex Senatoribus conſtituerẽtur, viri non magis auctoritate quàm prudẽtia, & eloquentia inſignes, qui cauſam candidati cuiuſque ita cum omni verborum honore tuerentur, vt acerbitati quidem verborum in alienum candidatum parceretur, momenta autem honeſtatis, vtilitatis, & aliarum rerum ac rationum omnium, quę in hominum deliberationibus verſari conſueuerunt, diligentiſſime excuterentur. Vt ad eum iam modum non tam fauor cum fauore, aut ſtudium cum ſtudio, quàm res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione, argumentum cum argumẽto, ex propinquo confligere videretur. Seuerum & graue diſceptandi genus, addo etiam fortaſſis rigidum: ſed quo rigidius, hoc & noſtris ſanè rebus conducibilius, & tibi, Rex, qui hoc

etiam

etiam contentionis genere ſuperior, Deo fauente, euaſiſti, honorificentius. Quid enim factum eſt? Principio, noſtratium plerique, viri & claritate familiarum præſtantes, & meritis in rempub. inſignes, qui inter competitores, fauore nonnullorũ ex Equeſtri ordine erant nominati, vltro ſe eo fauore abdicarunt: vel quòd iam tunc tibi ac dignitati tuæ excellenti, volentes concederent, vel quòd omninò videri nollent, ſuo ſe ſiue iuſſu, ſiue conatu, ſiue adeò volũtate, inter competitores regiæ dignitatis fuiſſe nominatos. Deinde illorum quoque magna pars, qui alijs candidatis (vti accidere neceſſe fuit, in tam ampla & libera republica) ſtudere non obſcurè videbantur, exaudita illa ac perpenſa cõflictione rationum, non inuiti de priore ſententia ſua deceſſerunt, & in te ſuffragia contulerunt. Ita cùm cæteri quidem ſententias ſuas desererent, tui autem ſuffragatores in ſententia permanerent, factum eſt, vt ſicut prius numero, ita tunc pondere quoque ſuffragiorum, reliquos omnes competitores anteires, & re ipſa Rex iam propemodum fieres. Reſtabant enim pauci partium contrariarum: quibus cum odioſa illa ac permoleſta cauſarum conflictione iterum pugnare, cùm ex mutuo amore eſſe non videretur, neque ſuadendo quicquam amplius proficeretur, gratia & rogando in partes tuas ſunt pertracti. Dederunt enim hoc precibus & auctoritati Senatus, qui id ab eis aſſurgens poſtulauit, dederunt modeſtiæ ſuæ, dederunt denique communi concordiæ, ut in te non inuiti quoque ipſi conſentirent. Ita iam ex eo tempore Rex noſter electus & deſignatus es, & regnum, quod antea, partim diſpoſitis per confinia præſidijs integrum, partim conſtitutis per Palatinatus iudicijs expeditum conſeruabatur, in incertum tum adhuc quidem, quẽ regnare uelit hera, quemuè ferat fors, id tibi deinde potiſſimum decretum a nobis, & quaſi diuinitus adiudicatum eſt, ſumma cum noſtri erga te amoris, ſumma etiam cum diuinæ beneuolentiæ teſtificatione. Quid enim ſiue a nobis, ſiue a Deo etiam ipſo immortali, in hac mortali vita tua illuſtrius ad tuam laudem excogitari potuit, quàm te vnum, ex tot gratioſiſſimis ac potẽtiſſimis competitoribus, tanta varietate & copia ſuffragiorum bis, concorditer, non ab

vna

vna aliqua prouinciarum, ſed ab omnibus prouincijs, nec a prouincijs tantum, verum etiam a ſingulis propemodum hominibus (quæ res non tantum effectu eſt admirabilis, ſed etiã ratione ipſa) tanti & tam latè patentis regni dominum, ac regem denique noſtrum eſſe deſignatum? Quę cum ita ſe habeant, erit nè adhuc obſecro quiſpiam, qui ea, quæ in hac tam exquiſita electionis ratione, tam accuratè & tam diligẽter geſta ſunt, aut ad temeritatem fortunę referat, aut, quod etiam multo faciat impudentius, vel fraudi alicui occultæ, vel deniq; apertæ ipſi vi tribuenda exiſtimet? Quid habet, quęſo, fortuna commune cum ſuffragio libero? quid rei eſt temeritati cum ratione? quid fraudi cum conſilio? quid vi cum precibus? Quod ſi quid etiam eſſet, agè referat mihi ſaltem quiſque oculos pauliſper ad illas tum noſtras inter nos, ac res admodum & nimiũ ſeueras in hoc genere inquiſitiones. Deus bone quid prætermiſſum eſt ad inueſtigandas, ſi quę eſſent, latebras talium conſiliorum? quid in ijs non quæſitum? quid non productum in medium? quid non excuſſum ab omnibus? quid non ad faſtidium vſque examinatum ac expenſum eſt? & tamen nihil repertum eſt eiuſmodi, quod non modo rem, ſed ſuſpitionem ſaltem aliquam veriſimilem venditi cuiquam aut promiſſi, aut etiam vi expreſſi ſuffragij habere videretur. Atq; hæc ſunt quidem primi temporis, noſtræ erga te obſeruantiæ, & diuinę deniq; beneuolentię non obſcura argumenta.

Sequitur tempus alterum, in quo ſingularia noſtra erga te ſtudia, & multo etiam magis diuina ipſa beneficia eluxerunt. Eſt autem tempus renunciationis ipſius: quam ego ſanè breuiter ſic exponam. Electio & deſignatio tua, de qua modo loquuti ſumus, in diem eam incidit, quæ fuit pridie Pentecoſtes, diei ſollenniſſimę & apud Chriſtianos omnes religioſiſſimæ. Incidit autem in tempus veſpertinum. Nihil vetabat amplius, quominus iam ita non modo electus ac deſignatus, ſed etiam omnibus rationibus eunctus, & ab reliquis omnibus competitoribus ſolus defenſus ac vindicatus, Rex eueſtigiò promulgaretur & renuntiaretur: & certè, ut id ita fieret, multa ſimul non ſolum deſiderare, ſed etiam poſcere ac contendere

vide-

videbantur. Quid igitur obſtitit, quominus fieret? Num tribuum fortaſſe fauor repente commutatus? Minimè. Fremebant enim vno ore omnes, & renuntiationem tui ſumma cum cõtentione flagitabant. Num igitur aduerſariorum competitorum potentia? Nequaquam. Hi enim aut nulli iam tum fuerant, aut omnem profectò contentionem abiecerant. Num igitur Archiepiſcopi Primatis, cuius illud renuntiandi munus fuit proprium atque legitimum, aut alienus, aut alioqui minus promptus animus? Ne id quidem. Is enim non modo ad promulgandum & renunciandum ex officio ſuo, ſed etiam ex ſingulari ſtudio, ad refutandum, ſi quis fortè moram afferat, paratum ſe eſſe oſtendebat. Quid igitur? Equidem nihil planè eiuſmodi, quod iuſta aliqua ex cauſa rem impedire potuiſſe videretur: illud potius, quod non ſolum impedire aut morari non debebat, ſed etiam, quod maximè mirum eſt, tanto magis vrgere rem & accelerare debebat: Sol occaſus & ſerum ipſum diei: cum videlicet homines non ſolum publica, ſed etiã priuata ſua, nec ſolum iam facta & finita, verum etiam inchoata & imperfecti, ad exitum tanto celeriorem ſtudent deducere. Sed nimirum omnis neſcio cuius leuiſſimi metus ob oculos verſabatur hominibus tui ſtudioſis, ne eſſet deinde, qui, te, vt eſt his noſtris temporibus admodum dicax ſæculum, ex caligine & tenebris erutum, & obſcurum neſcio quem in hãc lucem regni ſubitò protractum Regem eſſe conuiciari poſſit. Res igitur dilata eſt in diem perendinum. Si aut exemplum quæras, aut rem ad rationem reuoces, nihil alienius: ſin exitũ ſpectes, nihil admirabilius. Quæ enim ratio reperiri poteſt, cur certa iam res, & omnibus ſuis numeris abſoluta & confecta à calce denuo ad carcereſ reuocari, & infinitis rurſus caſibus, ac nouis rerum conuerſionibus fieri debuerit obnoxia? aut verò quàm multa tãdem, ex omni omnium annalium memoria exempla proferas, differendæ, non dico in diem, ſed vel in horam ſaltem eiuſmodi promulgationis? vbi preſertim electio ipſa omnibus in rebus rectè atq; ordine geſta & adminiſtrata fuerit? Et tamen, quod aliàs non ferè ſolet euenire, id, cùm de tuo honore ageretur, euenit, promulgatio ipſa & renuntia-

nuntiatio electionis perfectę tuæ, vt in diem perendinum differretur. Quid igitur? Num quis nos caſus aduerſus interpellauit? num quæ vel leuiſſima ſaltem conuerſio remorata eſt diuinam ſiue electionem, ſiue adeò renuntiationem tuam? Minimè id quidem. Nam cum deinde, vno poſt interiecto die, ad comitia intermiſſa rediiſſemus, etſi aliis quibuſdam de rebus controuerſiæ non deeſſent, de te tamen Rege controuerſia nulla prorſus extitit. O diuinam in rebus mortalium curã, & prouidentiam immutabilem & æternam. O diuini & ſingularis fauoris erga te ſpecimen diuinum & admirabile. O inſigne teſtimonium ad perpetuitatem, eos qui Deo fidunt, in mediis etiam rerum motibus & concuſſionibus, eluſum non iri. Itaque ſanè nulla interpoſita mora, Gneſnenſis Archiepiſcopus iure & prærogatiua ſua, QVOD TIBIQVE, NOBISQVE, REIQVE PVBLICAE NOSTRAE, GALLICOQVE ET POLONICO NOMINI, TOTIQVE ADEO ORBI CHRISTIANO, BONVM, FAVSTVM, FOELIXQVE SIT, præfatus cum eſſet, te Regem noſtrum verbis ſolennibus de more renuntiauit. Quem ipſum deinde, aliquot diebus interiectis Marſalci regni ſequuti ſunt: qui more & conſuetudine maiorum, renuntiatum per tribus publicarunt. O fauſtos ac fœlices dies illos. O lætas noſtras acclamationes. O gratiſſimas tum Deo immortali ſupplicationes noſtras, cũ renuntiatione per Archiepiſcopum facta, eueſtigio inde moti, magno concurſu ex campo in vrbem facto, templum vrbis primarium certatim adiuiſſemus, & eidem illi præpotenti Deo, cui olim ſuffragia inituri ſanctè ac religioſè ſupplicaueramus gratias de te tuo nomine ſupplices, atque gaudio lachrymabundi egiſſemus. Nunc quoque Sereniſſime Rex, apud te hæc mihi memoranti, vis ingens lachrymarum prorumpere ex oculis videtur, monumentum gaudii lætitiæque noſtræ, & ſupplicis ac gratæ noſtræ erga diuinam maieſtatem voluntatis. Quo quidem in loco tu quoque ipſe, maximè vellem, vt intimis in præcordiis conceptam gratiarum actionem tuam reddas nobiſcum Deo Opt. & immortali: qui tibi in hoc

quaſi

quaſi ſecundo actu electionis tuæ, manifeſtiſſimis indicijs præſentem admodum ſui numinis vim declarauit, & noſtrã quoque ſingularẽ erga te deuotionẽ nutu ſuo approbauit, eamque tibi in perpetuum cõmendauit. Omnibus enim lætitijs profecto tum inceſſimus, & Henricum Regem iterumque iterumq; nominari, dici, cieri, promulgari iuſsimus. Iuuabat vſque Henricum, iuuabat Galliam, iuuabat denique lilia iterari: & Henricum ipſum quaſi oculis, Galliam auribus, lilia denique ipſa naribus quodammodo noſtris admoueri. Cum interea temporis accerſuntur tui oratores ad conſtituendum nobiſcum de propoſitis olim nomine tuo conditionibus. Vt hoc etiam tibi maximó argumento eſſe queat, non tam conditiones vllas, aut ulla promiſſa tua tuorumuè, ſpectata fuiſſe a nobis in te eligendo, quàm virtutem modò & induſtriam ipſam tuam, quæ ſunt veræ tuæ, vnice à nobis in te adamatæ dotes: illud, inquã tibi maximo argumento eſſe debeat, cum audias, prius te & electum, & deſignatum, & renuntiatum a nobis fuiſſe Regem, quàm de conditionibus ipſis electionis, deſignationis, renunciationis tuæ, cum tuis oratoribus per nos tranſigeretur.

Reſtat actus veluti tertius & poſtremus, eorum quæ hanc iſtam glorioſam, & ad omnem poſteritatem memorandam renuntiationem tuam fuerunt conſecuta. In quibus quidem recẽſendis hoc erimus etiam breuiores, quòd & oratio ſanè ipſa ad exitum iam properat, & res ipſæ, quas commemoraturi eramus, tibi quoq; ipſi non multo minus quàm nobis, notę ſunt & perſpectæ. Etenim cum iam diutius gaudium lætitiamque noſtram, quam ex illa non magis tui quàm noſtri honoris acceſſione capiebamus, continere quaſi in animis noſtris non poſſemus, duo eueſtigiò fecimus: unum, quòd eius rei nuntium ſubitò ad te, per literas & celeres admodum tabellarios, varijs itineribus miſimus: alterum, quòd ſtatim poſt, oratores quoque ipſos ac legatos noſtros, ex primoribus Senatorij & Equeſtris ordinis delectos, inuitandi ac poſtulandi tui cauſa, publico nomine, cum decreto electionis factæ, ex Polonia in Gallias vſq; ablegauimus. Quorum vtrumque quale fuerit, nõ neceſſe habeo apud te dicere. Nam & literæ ipſę noſtrę, quod

ſcimus, in manus tuas peruenerunt, & oratores quoque noſtri tecum hic reduces comparent: iactati illi quidem,vna cùm literis, per varios caſus, per tot diſcrimina rerum,vt ait poëta: ſed certè & noſtrę quidem erga te ſingularis obſeruantiæ tanta vis fuit, vt nihilominus in illa variorum caſuum diſcrimina, mittendos eſſe tot & tantos viros talesque & eiuſmodi literas arbitraremur: & ſimul hanc noſtram erga te obſeruātiam illud diuinæ gratiæ ac beneuolentiæ manifeſtum indicium eſt conſecutum,vt non ſolum literæ ipſæ redditæ tibi fuerint, ſed etiā ipſum XIII. Legatorum noſtrorum collegium, inter tot externas, &, cum ſpacijs ipſis terrarum a nobis diſiunctas, tum verò lingua etiam ac moribus abhorrentes nationes, in tantis maris & terrarum interuallis, vniuerſum propemodum vltro citroque ſaluum atque incolume commeare, & legationem conficere,& ad nos deinde redire potuerit.

Quæ quidem,Rex,omnia cum ita ſint,debes profectò,quod toties dicimus, tum officia ſtudiaque hæc noſtra, tum multò etiam magis diuinas illas gratiæ & beneuolentię erga te ſignificationes, gratiſſima viciſſim tua beneuolentia proſequi: ita planè,vt & ea,quātum maximè potes,ſarta & tecta conſerues, quæ ſunt Dei immortalis,qui te ſua propemodum cœlitudemiſſa voce, ex medijs belli periculis ereptum, & ad hunc regium honorem accerſitum, ſuis etiam manibus, in regio ipſo ſolio iamiam collocabit:&rurſus,vt quæ noſtra ſunt,ea nobis, qui ſingularia Dei ipſius de honore tuo decreta atque iudicia, votis etiam ac ſtudijs noſtris libentes atque volentes proſecuti ſumus,virtute tua conficias ac repræſentes.Et cum vna iuſtitia duæ eæ res,quas dixi,vberrimè contineantur,iuſtitiam aſſidue præ oculis habeas, eaque ſemper actiones omnes tuas, in tribuēdo tum Deo quod dei eſt, tum nobis quod noſtrum eſt, moderere. Quid eſt autem quod Deo debeas? illud equidem, vt arbitror, vt, cum is vno eodemque tempore non magis in Gallia ſalutis tuæ,quàm honoris in Polonia, paternam curam geſſerit, neque minus potenter ibi te à periculis defenderit, quàm hic ad dignitatem regiam prouexerit, & ames eum tu quidem, vt patrem, & metuas vt dominum. Quæ vtraque ſi

ita

ita coniunxeris, vt & priuatim ipſe, quod tamen enixiſſime facere te audimus, caſtè eum & religioſè ſemper colueris, & publicè honorem ipſius nauiter vbique tutatus fueris, tum & ipſi illi abundè quod ſuum eſt reddideris, & ſolium præterea ac ſedem tuam regiam mirificè firmaueris. Nobis autem, qui ſecundum Deum honorem tuum honore regio auximus, quiq; te nobis Regem ac dominum præfecimus, quidnam eſt quod potiſſimum debeas? Equidem id opinor; quod nos pręcipuè a te expectamus. Quid eſt autem quod tantopere expectemus, niſi fortè id, quod dudum etiam in te eligendo ſecuti fuimus? Quid eſt igitur quod ſecuti fuimus? Num vt regem haberemus longa ſerie atauos reges numerantem? atqui alij etiam ęquè clari non defuerunt nobis aliunde. Num vt eum haberemus, qui acceſſionem nouæ alicuius ditionis regno noſtro adiungeret? atqui poſſeſſionum abundè nobis eſt: & earum ſanè acceſſiones per ſe non faciunt regnum beatum. Num igitur vt haberemus, qui cæteros omnes orbis Chriſtiani reges ac principes, vigore ætatis, formæ principatu, diuitiarum copijs, & reliquis id genus naturæ atque fortunæ blandimentis anteiret? Multo minus, nec enim ea ſunt propriè regia. Quid igitur potiſſimum ſpectauimus? Nihil planè aliud, quàm idem illud, cuius ipſius gratia, pro ſalute incolumitateque tua, obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, tum hucuſque ad Deum, magna cum animi noſtri ſummiſſione, fudimus, tum deinceps etiam, quoad vixeris, ſemper fundemus: vt videlicet tuis auſpicijs quietam & tranquillam vitam degamus in omni pietate & honeſtate: quorum altero ſecuritas ab externis hoſtibus continetur, vt tranquillè ſcilicet & ſine eorũ metu viuamus: altero, vt viuamus ſcilicet piè & honeſtè, ſecuritas continetur a domeſticis inimicis. Quæ duo quo ſunt difficiliora, hoc magis nobis dux eiuſmodi & auctor opus fuit, de quo hæc rectè ſperari, & a quo etiam certò expectari poſſe viderentur. Non vereor, ne quis hæc tui aut excitandi, quod minimè eſt opus, aut multo etiam minus, quod fieri non poteſt, deterrendi cauſa, a nobis dici exiſtimet. Quis enim aut terrere queat pectus tuum generoſiſſimum, & ad omnes labores

bõres ac pericula pro republica excipienda natum? aut verò excitare neceſſe habeat viuidam virtutem tuam, & ad omnem laudem & gloriam a natura ferè ipſa procreatam? Nihil hic oratoriè agimus: id quod res eſt loquimur, & quę tui muneris ſunt, ea tibi quàm breuiſſimè ob oculos ponimus. Quæ ipſa tu præſtabis ſanè non difficulter nobis, vbi voles: hoc facilius autem nobis quàm alijs, quòd ei genti imperaturus es, quæ regum ac principum ſuorum dicto audiens, quæque pręſcripto rectæ rationis & virtutis ita natura addicta eſt, vt huius quidẽ ſtudio ipſo & ardore, facilè in omni officio contineatur, illorum autem reuerentia & amore, libentius & efficacius quàm pœnis aut imperio vllo ſeueriore, in omne honeſtum inducatur. Aderit tibi ad hæc & ſuſcipienda, & gerenda, & perficienda, aderit inquam, non ſolum corporibus, ſed etiam multo magis animis, Senatus ipſe, numero frequens, promptus ſtudio, auctoritate verò & gratia ita pollens, vt propter gratiam, nomẽ fratrum maiorum, propter auctoritatem uerò nomen patrum & cuſtodum reipublicæ, communi omnium appellatione meruerit. Quos tu ſi in propria ordinis ipſorum auctoritate & gratia conſeruaueris, habebis profectò, qui conatus omnes tuos pro repub. ſalutares, ſtudio, conſilijs, conatibus denique ſuis proſequentur: vel, quoniam illi in hoc corpore reipub. ſub te capite, cordis locum obtinent, vitam proculdubio omnibus tuis in republica honeſtis inſtitutis affatim largientur. Aderit etiam non minus libenter quàm diligenter Equeſter ordo ipſe, qui in corpore hoc reipub. manuum tuarum inſtar habet: cuius tu quidem ordinis ſi vires inſpicias, vnicum regni tui robur atque firmamentum, ſin ſplendorem & libertatem, inſigne eiuſdem decus & ornamentum iure appellaueris: vtroque autem nomine theſaurum rectiſſimè dixeris, ac opes regni tui incomparabiles, atque inexhauſtas. Et alterius ſanè ordinis prudentia, atque conſilio nunquam a recto aberrabis, alterius ſtudio & obedientia, domi eris amabilis, foris admirabilis: utrorumque autem virtute & concordia, vbique omnia quæ voles facillimè conſequere. Tu nè autem, quæſo, adoleſcens, regnum Galliæ, fraternum potius

tius quàm tuum, difficillimis temporibus, vnius propemodum tua virtute, ita adminiſtrare potuiſti, vt tumultus ibi maximos compreſſiſſe, regiam maieſtatem vindicaſſe, populos illos æquo iure continuiſſe, diſciplinam veterem reduxiſſe, pacem & ocium deſideratum regno reſtituiſſe perhibeare: & dubitabis nunc iam factus maturior, ac rebus illis gerendis etiam exercitatior, in tuo ipſius regno, minimè deſperatis, & certè non peſſimis temporibus, auctore Senatu, adiutore Equeſtri ordine, ea te poſſe in animis Polonorum obſequentiſſimis, & ad omnem ductum rectæ rationis admodum morigeris, imprimere, quorum veſtigia admodum illuſtria in Gallorum non ſolum mentibus, ſed etiam vrbibus, ſingulari tua virtute poſuiſti? Equidem, quòd verè dicendum eſt, tum demum Gallicis illis tuis rebus geſtis plenam fidem conciliaueris, cum illarum ſimilitudinem in hoc quoque tuo Polonico imperio ad viuum expreſſeris ac repræſentaueris. Tum demum te ratione potius & conſilio quàm caſu & fortuna, res illas geſſiſſe homines ſibi perſuadebunt, cum eiuſdemmodi res tuas geſtas hic apud nos intuebuntur. Tum demum nos fructum electionis tuæ exoptatum conſecutos eſſe fatebuntur, cum res noſtras tua virtute in meliorem ſtatum eſſe adductas non poterunt inficiari. Qua profectò in re ſi & officio tuo, Rex, & expectationi omnium noſtrum ſatisfeceris, tum & apud nos quidem eum tibi amorem conciliabis, ut libenti animo non ſolum fortunas & facultates noſtras, iubēte te exponere, ſed etiam pectora & latera noſtra hoſtibus pro te opponere, & vitam deniq; ac ſanguinem noſtrū pro uita & ſanguine tuo profundere parati futuri ſimus: & foris præterea apud vicinas omnes & externas gentes atq; nationes, Rex eris per Dei gratiā clarus, honoratus, potēs, inuictus.

Atq; nos ea quidē ſpe freti, vti te antea expetiuimus, deinde elegimus, mox renuntiauimus, tum promulgauimus, denique per literas & oratores ac Legatos noſtros ex Gallia ad hoc regnū inuitauimus ac poſtulauimus, ita nūc iam præſentē & intra regni noſtri fines cōſtitutū, omni nō ſolū verborū honore, ſed etiā animorū cultu & veneratione, iterū atq; iterū ſalutanmu'

mus, tibique hunc primum in hoc regnum ingreſſum benè atq; fœliciter euenire cupimus, teq; adeo vti magnum quendam angelum, ad regimen & cuſtodiam populi Dei cœlitus demiſſum, excipimus, atque tibi iam nunc non ſolum honorem regium exhibemus, ſed etiam ipſa regni inſignia regiæ inaugurationis propria, promptiſſimis animis deſpondemus, omniumque ordinum & ſtatuum ſtudia atque officia, totumq; adeò regnum ipſum, cum omnibus eius prouincijs, ad te deferimus, & tibi etiam atque etiam commẽdamus, vtque nos omnes, exemplo anteceſſorum tuorum regum noſtrorum, gratia atque beneuolentia tua proſequaris, rogamus.

I tua Rex quo te virtus vocat, i pede fauſto.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob. Mittat tibi auxilium de Sancto, & de Syon tueatur te. Intellectum tibi det, & inſtruat te in via qua gradiaris, & firmet ſuper te oculos ſuos. Teneat manu dexteram tuam, & deducat te in voluntate ſua.

NOMINA LEGATORVM, AB ORDINIBVS Regni Poloniæ, & magni Ducatus Lituaniç.

Adam, Conarſki de Cobilino, Epiſcopus Poſnanienſis.
Albert. a Laſco, Palatinus Siradienſis.
Ioan. a Tomice, Caſtellanus Gneſnenſis.
Andr. Comes a Gorca, Caſtellanus Medirecienſis, Capitaneus Gneſnenſis, & Valcenſis.
Ioan. Herburt de Fulſtin Caſtellanus Sanocenſis, & Capitaneus Pramiſlienſis.
Nic. Chriſtophorus Radiuil, Dux de Olica, & Nieſuis, Curia magni Ducatus Lituanie Marſchalcus
Ioan. de Zamoſcie, Belſenſis, & Zamechenſis Capitaneus.
Nic. Firlei de Dambrouiza, Palatini Cracouienſis F. Capitaneus Caſimirienſis.
Ioan. a Sboroſ, Capitaneus Odalanouienſis.
Nic. de Tomice.
Alexand. Pronſki Palatini Kiouienſis F.

IOAN. SARII ZAMOSCII, BELSENSIS, ET ZAMECHENSIS PRAEFECTI, AC IN GALLIAM LEGATI, ORATIO.

QVA HENRIC. VALESIVM Regem renuntiat.

SI AD alium, quàm ad te, ſummis nō modò generis ac fortunæ, ſed etiā animi ingeniȷ́que ornamentis pręditum, ab ordinibus Polonię, ac Lituanię regnum deferremus, HENRICE Princeps Sereniſſime, pluribus nobis de magnitudine huius muneris, omniq́ue officio regio nūc differendum, Rexq́ue ipſe creatus, ad ſtudiū laudis, & cogitationes tanto faſtigio dignas ſuſcipiendas, excitandus, atq; inflammandus eſſet. Sed cum Deus Opt. Max. comitijs Camonenſibus, creandi cauſa Regis habitis, ita ſtudia noſtrorum hominum direxerit, vt cum publica ſalute & dignitate conſentirent, quemadmodum te creato Rege, aſperitates & difficultates Reipub. noſtræ, quaſuis iam facilè depelli, & ſuperari poſſe confidimus, ita nos hoc labore quoq; leuatos eſſe videmus. Superioribus temporibus neceſſaria hæc fuit legatis, qui ad Reges aduocandos mittebantur, oratio, cum bene meritorum de libertate noſtra imperioq́ue, Regum filios, patres, maioreſq́ue noſtri regnare iubebant. Quod tamen ita fœliciter nobis ſuccedebat, vt pietati noſtræ erga defunctos Principes, nouorum Principum in Rempub. noſtram beneficijs, ſatisfieret. At nunc quando ſummus honos hic a nobis nō maioribus tuis, ſed tibi tributus eſt, facto adeò eximio, & ſingulari a nobis de te iudicio, quis locus nobis pluribus verbis, aut admonendi, aut cohortandi tui relictus eſt? Quamobrem cum mihi, & collegis meis hiſce Senatoribus ampliſſimis, & Patricijs nobiliſſimis, id oneris impoſitum ſit, vt,

G quemad-

quemadmodum antè ad Camonum in Polonia, Rex omnibus fauentibus renuntiatus es, ita te hic quoq; more inſtitutoque maiorum, in hoc tam auguſto loco, tantaq; frequentia hominum, Regem renuntiemus, abundè me, pro virili, huic muneri ſatisfeciſſe arbitrabor, ſi ante ſolemnem renuntiationem, primum quibus de cauſis te ad faſtigium regium ſuffragijs noſtris extulerimus: deinde, quale regnum habiturus ſis, expoſuero: poſtremò verò, quid homines noſtri non tam a te requirant, quàm expectent, breuiſſimè attigero. Quibus in rebus explicandis, cum & de te, & de nobis ipſi verba nobis facienda ſint, ita orationem meam temperabo, vt nec tuæ grauitatis, quod te præſente hæc dicentur, nec noſtri pudoris oblitus, ſed de te, pro rei magnitudine modicè, de nobis modeſtè eſſe locutus, omnibus merito videar.

Multa tibi, HENRICE Princeps, ad regiam poteſtatem obtinēdam, apud nos ſubſidio eſſe, ac viam quaſi præmunire poterant, VALESIAE familiæ nulli in terris ſecundæ dignitas, Gallici nominis ſplendor, magna commoda, magnæq; opportunitates, quę eiuſdem ſanguinis, Regibus, apud nos & Gallos imperantibus, ac ijs auctoribus, & principibus, ſocietate inter noſtros, ac Galliarum populos ſancita, nobis accederent: tum æquiſſimæ propoſitæ dominandi, & iuris noſtri tuendi, & amplificandi, leges, adiectioq; vectigalium patrimonij tui. Nonnihil etiam tibi ſuffragatam eſſe, poſſet aliquis exiſtimare, deligendi Regis ex ea gente ſecuritatem, cum qua non modò vniuerſis publicè, nulla bella, nullę offenſiones fuerunt, ſed vix cuiquam priuatim, tot ſæculorum interuallo, vlla controuerſia interceſſit. Non leuia quidem hæc ſunt, Princeps ſereniſſime: ſed ſi quis rem intentis, vt aiunt, oculis, accuratius conſideret, ea adiumenta cauſæ tuæ, non firmamentum fuiſſe reperiet. Nam primum, ſi quæ familia digna fuit honore hoc ſummo, certè eæ, quæ cum IAGELLONIBVS aliquo ſanguinis vinculo coniunctæ fuerunt, niſi præſens rerum ſtatus impediſſet, digniſſimæ erant. Etenim IAGELLONIBVS tantum nos debuiſſe libenter profitemur, quantum etiam illorum ſtirpe extincta, ad affinitates poſſit redundare, quod eorum conſilijs, vigilantia

gilātia, legibus, multas partes Reipub. ab initijs fundamētiſq; conſtitutas, ius, & libertatem noſtram firmatam, ſtabilitam, auctam, ac ipſum Imperium, quod a ſuperioribus Regibus acceperant, cōiuncta Lituania, recuperata Pruſſia, defenſa Liuonia, duplicatum habemus. Nec iniquo animo feres, HENRICE Princeps, nobilitati domus VALESIORVM, nobilitatē AVSTRIORVM domus æquari, qui ob iuſtæ & moderatæ dominationis laudem, à multis populis expetiti, iam aliquot ætatum interuallo, tot opulentiſſimis, ac potentiſſimis regnis, ac ipſa auguſta Romani imperij dignitate potiantur. Vt Ioan. Moſchorum Principem prætercam, qui generis ſui claritatem, ex longó, & ab aliquot ſęculis nunquam interrupto ſtemmatum ordine, Græcorumq; etiam imperatorum imaginibus collectam, morum feritate contaminauit. Quod verò ad nominis Gallici gloriam ſpectat, compertum nobis eſt, hanc, & nunc ſummam eſſe, & in omni memoria ſummam fuiſſe, vt annales non modo veſtri, ſed Græcorum etiam, populi Romani, multarumq; gentium, ac in his & noſtri teſtantur. Scimus Gallos priſcis temporibus, res maximas bellis geſſiſſe, Romanis rerum quondam dominis, ſupra trecentos annos terrori fuiſſe, ac ipſam Romam orbis terrarum imperij ſedem cepiſſe, non modò in Europa, ſed in Aſia etiam tranſmiſſo mari, multos populos deleuiſſe, regna condidiſſe. Scimus item Gallorum arma proximis temporibus illuſtria fuiſſe, & nunc apud eoſdem diſciplinam bellicam, artemque militarem vigere: ſcimus Gallos omni ſapientiæ, pietatis, ac humanitatis commendatione, iam inde ab initio floruiſſe, nunc verò cum Italia, vnica exquiſitioris eruditionis ac artificij, & cultioris ac humanioris victus parente, de litterarum, ſcientiæ ac omnis elegantiæ gloria certare: ſcimus integritate, iuſtitia, fide, temperantia, Gallos a nulla gente ſuperari. Omitto alias nationes, quibus tantum vos ipſi tribuitis, quantum homines, qui certam ac firmam fiduciam in virtute ſua collocant, alienæ uirtuti tribuere debent. De his tantū loquar, a quarum Principibus legationes ad comitia noſtra venerant. Vos Germanos fratres veſtros in omni virtute vobis ſimiles, ac propè gemi-

nos

nos unde nomen optimæ ac fortiſſimæ genti inditum eſt, prędicatis: nos verò eorum ingenia ſtabilia & ſolida, factorum & dictorum conſtantiam, & caſtitatem incorruptam, intrepidorumq; animorum inuictum robur laudamus. Nec Suecum nomen, ab eadem ſtirpe cum Germanico profectum, minoris facimus. Præterea verò minime nos rerum geſtarum, ac morũ noſtrorum, & naturæ commendatione diſſuadente, & veritate prohibẽte pœnitet, aut Regi noſtri ſanguinis parere pœnituiſſet, cũ non deſint nobis in Polonia, Lituania, ac Ruſſia noſtra, viri, etſi nõ regio genere, at regio certè animo, prudẽtia, fortitudine, innocẽtia, cõtinentia, omnibusq; belli ac pacis artibus excellentes. In PIASTO ſanè, quãquam nõ modò nullis honoribus antè vſa, verumetiam ne patricia quidem ex domo, ad faſtigium regium eueсto, eiusq; poſteris, qui cũ apud nos annos amplius quingentos regnaſſent, his legibus, ac inſtitutis, quibus ius, libertatem & dignitatem noſtram adhuc tuemur, Rempub. noſtram formarunt, ac longè & latè patens, & opibus, ac gloria florẽs regnũ, quod deinceps IAGELLONIBVS cõmiſeramus, nobis reliquerunt, apparuit, Polonis, nec in regno gerendo, & adminiſtrando ſcientiam, nec in defendendo, & dilatãdo animũ defuiſſe. Ex Lituania verò nõ modò a Polonis IAGELLONEM receptũ Regem, ſed cũ is in Polonia, magnitudinẽ animi, moderationẽq; ingenij ſui nobilitaſſet, filium eius VLADISLAVM, Pannoniorũ precibus, ad regnũ opulentiſſimũ euocatũ, ac eiuſdẽ nepotẽ VLADISLAVM alterum a Bohemis primum, deinde Pannonijs exceptum, regna hæc LVDOVICO filio per manus tradidiſſe conſtat. Nam quid ego SIGISMVNDO primo, VLADISLAI fratri, abrogato Chriſtierno imperio, Sueciæ, ac item poſt LVDOVICVM in prælio cum Turcis cæſum, Pannoniæ & Bohemiæ regna oblata, & ab eo, animo regio repudiata, narrem? Quorum illi populis quibus pręfuerunt, equitatem, probitatem, & ingenia decoris auida probarunt: hic verò apud nos, ea fama, ea exiſtimatione regnauit, ut omnium conſenſu PATER REGVM appellaretur. Poſſem multa de OLGO, poſſem de VLODIMIRO, poſſem de alijs commemorare, quo

de

intelligatur, & Ruſſos noſtros regnandi arte non caruiſſe, ſed non id agimus hoc loco. Cęterum Gallia procul omni dubio, tantum armis, viris, claſſe, magnitudine vectigalium, multitudine fructuum, varietate earum rerum, quæ exportantur, excellit, vt ex ſocietate cum Gallis, te, fratrèque tuo, auctore, & duce, icta, æquabilique ac iuſta commerciorum ratione deſcripta & conſtituta, plurimum nobis vtilitatis quæratur. Sed ex AVSTRIORVM regnis, ac etiam ex Suecia propter vicinitatem, & celeriora auxilia habuiſſemus, & faciliorem ac expeditiorem negotiationem, mercatores noſtri, illis in regnis habent, vberiorem verò & fructuoſiorem, ſe habituros deinceps ſperabant. Quid verò nobis acerbi, aut iniuſti, ab vllo competitorum tuorum, ad quem voluntates, & ſtudia noſtra conuertiſſemus, timendum fuit? Primum ſinguli veteres noſtras regnandi leges ſeruare pollicebantur, ac alias quæ plurimum dignitatis & ornamenti nobis afferrent, vltro proponebant. Deinde verò nos, vt quas vellemus, iuberemus, quod poteſtatis noſtræ, nobis a maioribus relictæ fuiſſe cernebant, hortabantur, atque in omnes, quas tam publico, quàm priuato de iure, vel iuſſiſſemus, vel ante perlatas haberemus, verbis conceptis iurare non recuſabant. Num igitur in mentem cuiquam venire potuit, vt de fide principum ad ſanctitatem & conſtantiam natorum, religione iureiurandi obſtrictorum, dubitaret? & a miti, & ſedato SVECI ingenio, graue aliquid & violentum metueret? pro perenni, & multis ætatibus tot nobiliſſimorum regnorum populis conteſtata, AVSTRIORVM pietate, grauitate, continentia, beneficientia: periurium, leuitatem, cupiditatem, iniuriam reformidaret, præſertim verò ab eo, qui non modò ea in familia natus ſit, ſed ita in ætate ineunte imbuatur & inſtituatur, vt præter exempla maiorum & patris ſanctiſſimi, ac cum cæteris virtutibus, ei qui ſummæ rerum præſit, conuenientibus, tum ipſa benignitate ac clementia inſignis, naturæ bonitatem, educatio, ac diſciplina corroboret. Nihil item periculi fuit, ne quid noſter, cui ſummum hunc magiſtratum mandaſſemus, alienum a legibus inſtitutiſque

maiorum, abhorrens a libertate propria generis, ac nominis noſtri cõmitteret, qui fortuna alternante ęquiſſima ratione parendi, ac imperandi vices, priuſquam in ſublimi collocaretur, cõmuni atq; eodem cum omnibus iure uſus, & antequam rectè regnandi ſenſum, imperij dulcedine deguſtata corrumperet, quæ hominibus libero animo affectis, dominatio grauis & non toleranda, quę grata & iucunda foret, ipſe expertus eſſet. Iam verò, quod ad vectigalia, fructusq; patrimonij tui attinet, Succia coniuncta, ſi rex noſter à Meridie, ab Oriente, à Septentrione, littora maris Balthici, ac penè totum ſinum Balthicum, ditione complecteretur, quantæ non tantùm priuatorum, verùm & publicorum commodorum facultates, quanta ſubſidia & adiumenta ærario noſtro parabantur? Nam quid ego de Moſcouiæ acceſſione dicam? de congeſta multis ſæculis gaza, de maximis vectigalibus, de latitudine finium, de varietate populorum, de numero prouinciarum, de multitudine copiarum, de copia mercium, quæ communi rege creato, collatis in vnum viribus Poloniæ, Lituaniæ, Moſchouię, & communicata ciuitate, moles Imperij excitabatur, & condebatur? cuius arma non modò Turcorum armis opponi potuiſſent, ſed etiam omnes Chriſtiani nominis nationes, in ſpem debilitandæ ac frangendæ, immenſæ Othomanorum potentiæ, ac recuperandi bellici decoris, amiſſarumque prouinciarum erexiſſent. Quæ amplificandi ærarij occaſiones, etſi aliunde nobis oblatæ non fuiſſent, tamen Poloniæ, Lituaniæque ſolum eos fert fructus, eas ſine iniuria priuatorum, inſtituendorum magnorum vectigalium oportunitates reſp. noſtra habet, vt non tam aliena pecunia, quàm ſolerti ac prudenti adminiſtratione, & diſpenſatione egeat. Cum Gallis nullæ nobis contentiones, quemadmodum & cauſæ contendendi, tanto terrarum interuallo diſiunctis, fuerunt. Nulla etiam odia. Fuit ſemper mutua beneuolentia, naturæ & morum quadam ſimilitudine conciliata. At ſi quę ſpes in Gallis, nobis naturæ propenſione fauentibus, collocanda fuit, collocanda quoque fuit in coniunctiſſimis amicis. Tribuenda fides fideliſſimæ Bohemorum amicitiæ, publicis pactionibus ſancitæ, dandum aliquid

quid originis, ac communis linguæ vinculo dandum Lechi & Cechi fratrum, conditorum & principum, huius Bohemici, illius Polonici, Imperiorum, memoriæ. Quid verò de Pannonijs dicam, qui ſuas fortunas cum periculis noſtris ſæpè communicarint, cum quorum item periculis nos noſtras fortunas ſæpè cõmunicauimus, nos pro illis, illi pro nobis, ſe copijs hoſtium, ac capitis dimicationi, ſæpè obiecerint, eaq; charitate, altera gens, alteram proſecuta ſit, vt in quodam fœdere, ne Pannonij in Polonos, Poloni in pãnonios arma vmquã, etiam regibus auctoribus, ferrẽt, diſertè caueretur: vt omittam Pannonios & Bohemos, iure quodam a nobis eũdem honorem, quo nos quondam affecerunt, repoſcere viſos, vt quemadmodum illi antè ex Polonia Lituaniaque reges quæſiuiſſent, ita nos fratrem, filium, ac nepotem regum illorum, regem aſſumeremus. Nihil agam de antiqua Sueciæ, ac Poloniæ Lituaniæq; ſocietate, noua, non ita pridem, affinitate regis ipſorum cum rege noſtro, nouis ac maximis officijs cõfirmata. Bellum nobis fuit pro Pruſſia cum Marianis militibus, cum Henrico quoque quinto Imperatore, Vratiſlauienſibus in campis dimicauimus: verum hæc bella nec ab inſito gentium, a natura, diſſidio, quod nullum eſt, profecta, nec publico Germaniæ imperij decreto ſuſcepta, ſed priuatis conſilijs, priuatas ob controuerſias cõcitata fuerunt. Ceteroquin nobis vera & perpetua cum Germanis amicitia manſit. Nam quid ego ab Imperatoribus nobiſcum icta, & ſæpius renouata, ſacroſancta fœdera cõmemorem? Quid pactiones amoris & officij pleniſſimas cũ Auſtria, Bauarica, Brandeburgenſi, Stetinenſi, Mechelburgenſi, primarijs Germaniæ familijs? quid affinitates ab Auſtria, Bauarica, Saxonica, Brandeburgenſi, Heſſica, Stetinenſi domo, cum Regibus noſtris contractas? quid beneficia cum Brandeburgenſi, ac Stetinenſi communicata? Quamobrem, HENRICE Princeps, etſi id quicquid nobis ex te vtilitatis, præſidij, ornamenti, accedere poteſt, non contemnimus, & ea quæ in alijs cernebamus, tibi adiuncta eſſe lætamur: tamen non hæc, quæ extra te poſita, nec tam tua quàm fortunæ putanda ſunt, nos ad ſalutem Reipub. noſq; & fortunas noſtras, impe-

rio

rio & fidei tuæ cõmendandas, mouerunt. Valido per ſe Reip. noſtræ corpori capite opus fuit: viro, inquam, viro nobis opus fuit. Non te præterit, Princeps sereniſs. magnæ ac excellẽtis virtutis ſplendorẽ, ex remotiſſimis etiam regionibus cerni, & melius cerni. Nam quemadmodum ſolis lumen ſi de propinquo ſpectetur, noſtri oculi, propter imbecillitatem ferre nõ poſſunt, ita ſui excellentem eius virtutem, quem aſſiduè intuentur, quo cum verſantur, inuidia corrupti vix agnoſcunt: & quemadmodum ſol ex longinquo aſpectu pulcher, vt eſt, & amabilis iudicatur: ita virtus ab alienis, quos nec odium, nec vlla animi perturbatio impedit, melius & verius æſtimatur & amatur. Quò fit vt præſtantis virtutis, poſtquàm ſuorum inuidiam ſuperarit, fama, facilè diſiunctiſſimas etiam terras peruagetur, ac quò longius progreſſa fuerit, magis vigeat: vt contra falſa laus a familiarium aſſentatione excitata, ſicut fumus, qui paulum modò ſupra ignem, a quo oritur, attollere ſe conſueuit, eodem loco in quo excitata eſt, euaneſcit. Quomodo igitur nos tua incredibilis diuinaque virtus, in tam ſublimi præſertim & illuſtri loco poſita, latere potuit? In ea nos ſemper ſententia fuimus omnes Chriſtiani nominis nationes, omnes populos, quaſi vna quadam ciuitate contineri. Itaque cum extremi Chriſtianorum ſimus, & in perpetua quaſi ſtatione & vigilia pro Repub. Chriſtiana excubemus, num cenſes homines noſtros iam inde ab initio de ea. non ad præſens modò, ſed in futurum cogitaſſe? num ab eo tempore quo inclinare cœpit, tum ſociorũ cladibus, tum ſuis periculis permotos, qui reges, quo animo, quo conſilio, vbiuis Chriſtianis populis imperarent, qui regum liberi, qua indole quo impetu animi ad gloriam eſſent, quiſnam illorum potiſſimum, vel ad præſens, vel in poſterum, perculſam & magna ex parte proſtratam rem Chriſtianorum, recreare & erigere poſſe videretur, diligenter perquiſiuiſſe? Id cum ut patres ac maiores noſtri, ita nos dies noctesque cogitaremus, & diligenter perquireremus, iam ab aliquot annis, te inter alios reperiebamus, quem natura ad magnitudinem animi, prudentiam, omneſque virtutes magnũ hominem & excelſum ediderit. Ami-

ſimus

ſimus regem vltimum IAGELLONIAE ſtirpis, fortuna imperij noſtri, ac Reipub. Chriſtianæ, charitas erga patriã, nos in concordia continuit, concordes aduerſus externam vim, ſi quę afferretur, armauit, pace foris parta, domi publica execratione, capitis & bonorum conſecratione, obteſtatione fidei & famæ, more maiorũ, ambitui, largitioni, auaritiæ, diſſidijs, frœno impoſito, ſpatium nobis datum eſt, grauiſſimæ deliberationis de ſufficiendo rege explicandæ. Habuimus, vt dixi, generis ac ſanguinis noſtri præſtantes & excellentes viros, qui regno gerendo & adminiſtrando, propter prudentiam, ſapientiam, grauitatem, iuſtitiam, fortitudinem, ſufficere poterant. Cauendũ tamen nobis, atque omni cura prouidendum fuit, ne præſenti tantum ſtatui ac tempori rectè conſuluiſſe, in poſterum verò reip. noſtræ parum proſpexiſſe videremur. Itaque exemplum periculoſum, quod ciuilem moderationem animorum tollere, cupiditatem dominandi inducere, ad contentiones & ciuilia bella cõcitare & inflammare poſteritatem noſtram aliquãdo poſſet, proponere: & ſemina diſcordiæ, quam non modò antiquitus maxima imperia, quæ nulla vis externa frãgere poterat, confeciſſe legimus, verumetiam hac ætate florentiſſima regna, uel attriuiſſe, vel deleuiſſe, magno cum noſtro dolore videmus, iacere noluimus. Moſcho creando libertatem noſtram periclitandam, propter inſitam illi a natura ferociam, nõ putauimus. IOANNI verò Sueciæ regi tot laboribus, ac aduerſis caſibus fatigato, difficilem adminiſtrationem duorum operoſorum imprimis regnorum, quorum vtriuſque periculorum & negotiorum magnitudo, ne minimo quidem temporis ſpatio, regis abſentiam pateretur, fore cernebamus. ERNESTVM AVSTRIVM diuinũ adoleſcentem, prĉlaræ indolis, ſummæque ſpei iudicauimus, vt eum deinceps magno auxilio & decori rebus Chriſtianis fore, & credamus, & utilitatis ac dignitatis communis Chriſtianorum cauſa, optemus; verum eius ætatem ab ætate regali remotam vidimus. Etſi verò non longè remotam, tamen reputantibus humanos caſus, & varios ac incertos euentus, obiectis plurimis hoſtibus, ſuperſtitione impijs, crudelitate barbaris, multitudine & firmitate copiarum

H poten-

potentiſſimis, vel breue tempus nimium longum, graueq́ue ac periculoſum videri debuit. Te, HENRICE Princeps, ſolum, omnibus rebus, quæ ſummum atque perfectum Regem efficerent, atque imprimis probata & nobilitata virtute ornatum, te huic prouinciæ, ac tempori diuino conſilio deſtinatum agnoſcebamus. Fundamentum omnium regnorum religio eſt. Iccirco enim ſummus Pater atque effector naturæ, regna condidit, & quamquam ſuæ poteſtatis non parum regibus impertit, ipſe tamen nutu atque poteſtate ſua, Reges & regna regit & tuetur, vt in ijs purus illius ac verus cultus vigeat & conſeruetur. Itaque primum Rege nobis opus fuit, qui ſtudio & exemplo ſuo pietatem hominibus commendaret, præpotenti Deo aſſiduè cultum, honorem, preces adhiberet, eius voluntati obediret, eum inſpectorem omnium, non modo factorum, ſed cogitationum ſuarum metueret, largitorem omnium commodorum veneraretur. Te in omni officio pietatis tuendo, diligentiſſimum & caſtiſſimum ſciebamus: te cũ fratre tuo rege Chriſtianiſſimo, plurimum ſolicitudinis, plurimum curæ poſuiſſe, & ſuſcepiſſe, maximos & grauiſſimos labores ſubijſſe & exantlaſſe, vt controuerſiæ de Deo eiusque cultu, atque æterna illa fœlicitate, poſtquam hoc mortali corpore exuti fuerimus, conſequenda, doctorum hominum diſputationibus excitatæ componi, & vetuſta religio, Chriſti Dei nuncio ſancita, non tam vi & armis, quàm auctoritatis ſcriptorum diuinorum, & præceptorum, ac doctrinæ a ſanctis Apoſtolis traditæ, & acceptæ, pondere fulciri & ſtabiliri poſſet: perficique potuiſſe à vobis, pace, otio, ac ſine effuſione ſanguinis opus maximum, & omnibus ſæculis memorandum, niſi inſolentia, & ambitio quorundam offenſo & irato numine, partes ad arma ciuilia, & inteſtina bella impuliſſet. Eum cui maximum imperium, multorum hominum ſalus, ac ſumma rerum cõmittatur, cautum eſſe in omni actione ſuſcipienda, multa antè animo proſpicere oportet: Prudente igitur rege opus habuimus. Te quantum in diſcernendis commodis & incommodis intelligentia, futuris prouidendis conſilio, ac in omni re expedienda, agendaque, induſtria

valeres, grauiſſimis temporibus, ac formidoloſiſſimis tempeſtatibus, quæ familiam tuam, vniuerſamque Galliam, ab ineunte tua, fratrumque tuorum, etate, exercuerunt, declaraſſe compertum nobis fuit. Quòd, in ijs depellendis & superandis, frater tuus Rex Chriſtianiſſimus, te omnium rerum, ac conſiliorum, participe, adiutore, & adminiſtro vſus ſit. Regibus creandis, ab omnibus populis, æquabile ius quæſitum ſemper fuit, vt non modò Rex ipſe iniuriam non inferret, verumetiam iniurias potentiorum, a tenuioribus arceret. Rege igitur iuſto opus habuimus. Te æquitatis ſemper ſtudioſiſſimum fuiſſe, nihil unquam auarè, nihil libidinosè feciſſe noueramus. Nec modò ſuorum, a ſuis iniurias prohibere Regem neceſſe eſt, ſed multo magis externam vim propulſare, ac potiſſimum regnantem apud eos, quorum legibus rex ſummam imperij militaris teneat. Rege igitur magno animo, & ſcientia, ac vſu rei militaris præſtante, opus habuimus. Latere nos non potuit, id quod vix vllam in orbe terrarum gentem lateat, te inteſtino Galliæ bello, maximo & grauiſſimo, extrema pueritia, fraternarum copiarum ducem, ea ætate, qua alijs vix caſtra videre accidit, cum hoſtibus ſignis collatis dimicaſſe, eos acie ſuperaſſe, ac in adminiſtrando imperio militari, ad hoc vſque tempus, nullis periculis, nullis laboribus frangi potuiſſe, nunquam te a rebus conſtituendis, maturandis, agendis, non modo amœnitatem, aut voluptatem, ſed ne quietem quidem, ac famem, ſitimque, auocaſſe, nihil accidiſſe quod non ipſe obires, occurreres, vigilares, tuaq; maximè opera, antiquiſſimum Galliarum regnum, vitam, fortunasque ciuium conſeruatas. Liberis in populis Reges vtilitatis ciuium cauſa conſtituuntur, quapropter Rex commodis & ornamentis ciuium, tum publicè, tum priuatim cōſulere, nihil in quemquam inſolentius, iracundius, acerbius committere debet. Rege igitur Reipub. amante, benefico, ac clemente opus habuimus. Te ſingulari erga patriam charitate, ſumma liberalitate in tuos, mitiſſimoque ac leniſſimo ingenio prædituum audiuimus, qui diuitias tuas, non tam tuas, quàm Reipub. ac illorum quos periculorum ac laborum tuo-

rum participes vlla ex parte habuiſti, duxeris, qui te comem ac facilem omnibus ſemper præbueris, iram perturbatricem rationis cohibueris, qui ciues aduerſus regem arma ferentes non punire, ſed illi, patriæque reconciliare ſtudueris, qui nullum ex ciuibus, niſi qui armatus in acie ſtetiſſet, pro hoſte habueris, cuius opera nullus ciuium, niſi in prælio, occiderit. Quid verò agam de tua grauitate, fide, conſtantia, continentia, & reliquis virtutibus, quas omnes penitus comprehenderis? Has igitur ob tuas virtutes, HENRICE Princeps, non potentium hominum ſtudio, aut excellentibus paucorum gratijs, quæ in tanta multitudine, libertate, & integritate eorum, qui ſuffragia ferrent, ſatis ad eam rem momenti numquam attuliſſent, ſed omnium populorum, ac regionum, in quas regnum noſtrum deſcriptum eſt, omniumque hominum, vna propè voce, te regem dictum ſcito. Nihil nos longinquitas itineris, nec difficultates, quæ proponebantur, nec rumores, ad inuidiam tibi conflandam, a quibuſdam ſparſi, mouebant. Nullum nobis tui cauſa laborem grauem, nihil tibi tanto homini inuium putauimus, inuidiam autem virtute partam, glóriam non inuidiam iudicauimus. Neque de te plura dicam. etenim me tua præſentia, vt finem faciam, cogit. Explicaui rationes, propter quas ordines Poloniæ ac Lituaniæ, ſummum Imperium ad te mittendum exiſtimarint. Deinceps quale hoc ſit Regnum, quod ad te delatum eſt, explicabo. Neque ego nunc, quàm longè lateque pateat Polonia ac Lituania narrabo, nec regiones, populos in communionem iuris ac Reipub. aſcitos, nec regna quondam nobilia, primum in prouinciarum formam redacta, deinde ciuitate donata, enumerabo.
Non referam rationes vectigalium, nihil agam de varietate fructuum, nihil de mira vbertate ſoli, ac copia rei frumentariæ, nihil de magnitudine paſtionis, nihil de agris publicis, nihil de vrbanorum, oppidadorum, & agreſtium ærariorum tributis. Non dicam de portorijs, non de multitudine mercium, & magna ex parte earum, quæ non tam ad luxum, quàm ad neceſſarium vitæ vſum pertineant, & ea-

rum

rum, quibus vitam ducimus & ſuſtentamur, quibuſque viciniæ prouinciæ carere non poſſunt. Non metiar longitudinem littoris maris Balthici, quod poſſidemus a finibus Pomeraniæ Stetinenſis, ad fines vſque Sueciæ, & Moſchouiæ: non æſtimabo fluminum, non inſtituendorum nouorum portuum, ac emporiorum opportunitates, non antiquorum commoditates. Non cenſebo ferri, plumbi, ſtanni, ſalis, quale vix vſquam alibi excinditur, ac argenti, metalla. Quę omnia & fructuoſa ſunt, & adhibito ſtudio ac ingenio, fructuoſiora eſſe poſſunt. Etenim a nobis, inter maxima orbis terrarum Imperia, ac inter bellicoſiſſimas nationes, poſitis, adhuc ita hæc conſtitui non potuere, vt tamquam ager ſumma iam cura excultus, ſolertiam attenti, & naui patrisfamilias non admittant. Verum de his, inquam, non agam. Neque enim ij ſumus, qui ægre feramus, regis noſtri vectigalia, in tanta rerum omnium copia, non reſpondere numero pecunię quorundam regum vectigalibus, qui numerandis pecunijs ſibi opulentiſſimi ac beatiſſimi videntur, vtendis verò ſe minus beatos ac opulentos experiuntur: neque hanc commendationem regni noſtri, apud te hominem ad laudem natum, tantū valere arbitramur, quantum illam, quod nullum regnum tantæ tuæ virtuti conuenientius: nulla prouincia, ad tantum lumen animi ingenijque oſtendendum, aptior & optabilior tibi obuenire potuit. Scio ego Reges, qui diuinæ potentiæ in terris ſint adminiſtri, ad ſuſtinendū tanti muneris onus, omnibus ſummarum rerum gerendarum adiumentis abundè inſtructos eſſe, omnesque virtutes penitus animo complecti, ac ijs alios anteire debere. Sed tamen quæ in ijs maximè commendentur, & quæ præ cæteris emineant, poſt pietatem erga Deum, a quo omne quodcumque rectum & laudabile eſt proficiſcitur: hæ ſunt, magnitudo animi, benignitas naturæ, munificentia, & earum, ac omnium actionum moderatrix ſapientia. Etenim, quoniam cum Regibus a Deo poteſtas quodammodo communicata eſt, quemadmodum diuinæ naturæ maieſtas, ac poteſtas, in eo à mortalibus maximè ſentitur, & cernitur, quod mente ac ratione omnia gubernans & diſpen-

ſans

ſans ſapientiſſimè, vitæ hominum imprimis conſulat ac prouideat, & in omni rerum humanarum, ac totius mundi procuratione, ſummam potentiam ac vim numinis ſui declaret, ita in Regibus quoque animum magna molientem, & audentem, ac pericula deſpicientem, pleno ore prædicamus, ſtudium benemerendi de hominibus, bonitatemque amamus, altitudinem mentis & conſilij ſuſpicimus. Hæc cum ita ſe habeant, dico nullum regnum ad virtutes has planè regales declarandas, & exercendas accommodatius te obtinere potuiſſe. Ac primum, quod ad magni, ac elati animi vigorem, & ſtudium bellici decoris ſpectat, non deerit tibi apud nos iuſtorum ac piorum bellorum gerendorum materia, & facultas. Pręfuiſti ſuperioribus bellis in Gallia militari imperio, inſignes victorias retuliſti. Verum hęc bella, & ſi neceſſaria, tamen quoniam cum ijs, qui communione ortus ac ſanguinis, ac omnis humani iuris, & diuini, aliquando, coniuncti erant, pugnabatur, utrique parti funeſta & luctuoſa extitere. Habemus nos Chriſtiani nominis populorum, finitimam & cōtinentem primum imperij Germanię, deinde regni Bohemiæ partem. Attingimus etiam Sueciæ fines, extrema Liuonia, qua ad oſtia Naruæ fluminis vergit, cætera mari ab ea ſeiuncti. Præter eas verò adiunctę nobis ſunt Pannonia vlterior, ac Tranſſyluania, ſociorum fideliſſimorum, quondam florentiſſimum regnum, nunc Turcorum armis infeſtum, ac magna ex parte ſubactum. Deinceps ſequuntur Moldaui, Othomanorum obnoxij, ac ſtipendiarij. Inde Bialogrodenſis ora, imperij quondam Moldauici pars, nunc Turcorum pręfectura. Tum vero Tartarorum, ac Moſchorum, vaſtæ & immenſæ ditiones. Itaque ſuppetent tibi, præter veteres noſtros ſocios, quibus cum perpetuam amicitiam, & cupimus, & pollicemur nobis, hoſtes perfidia, ſuperſtitione, impietate, ab omni humanitatis, non modo religionis, communione iam olim interdicti, quibus cum, pijs omnibus hominibus, ac cæleſtibus quoque, fauentibus, manus conſeras, pœnas ab illis pro tot cladibus Reipub. Chriſtianæ allatis repoſcas, multa millia Chriſtianorum, vrbes, populos, prouincias, regna, ex

illorum

illorum ſeruitute in libertatem aſſeras. Suppetent item bel-
lorũ cauſæ, cũ ij ſint, qui bellorũ cauſas quęrere, fidem ac iuſiu-
randũ, prout res tempusq; poſtulauerit, & ſeruare, & neglige-
re cõſueuerint. Quid autẽ ego de viribus Poloniæ ac Lituanię
dicam? O præclarã atq; diuinam maiorum noſtrorũ ſapientiã,
qui regum noſtrorum diuitias, viris potiſſimum armisque, ac
militarium hominum priuatis facultatibus contineri volue-
runt: & cum ſtudium rei bellicæ, tum omnibus imperijs, tũ
noſtro, cui iam inde ab initio communes Chriſtianorum ho-
ſtes aſſiduè imminerent, ſalutare & glorioſum putarent, præ-
cipuum in repub. hominum genus, Patriciorum nimirum, ad Nobiles.
militandum legibus obſtrinxerint, interque patricios nemi-
nem iure cooptari, niſi eum, qui bellicum aliquod inſigne
facinus edidiſſet, iudicarint. Itaque in Polonia & Lituania,
patricij omnes, vt ſunt, ita milites appellantur. Hoc legibus
ac inſtitutis noſtris eſt, Senatus, publicorum ſacerdotum, ma-
giſtratuum, iudicum, ſeminarium: hi Reges, cum ſenatu, &
aliquot ciuitatum legatis viritim creant, ab his legati leges ro-
gantur, hi honoribus ſunt ſemper ornati, horum oppida, agri,
poſſeſſiones, iam inde longo interuallo, nulla ratione ærarij
habita, immunes factæ, ac præterea a ſingulis regibus certa-
tim auctæ ſunt. Quibus inſtitutis maiorum noſtrorum factũ
eſt, vt hoſtes noſtros pecunioſos imprimis, innumerabiles co-
pias, lectiſſimorum militum, multo auro conductorum, ad-
uerſus nos ducentes, ſæpè, primo impetu illorum eluſo &
declinato, poſtquam illos pecunia deficiebat, ſine ſanguine
propè & ſudore vinceremus. Etenim Poloniæ Rex, cum bel-
lum illatum propulſandum, finesque defendendi ſunt, nulla
impenſa facta, ſupra C.M. hominum armare, quòd ſi belli glo-
riam vltro ſibi quærendam propoſuerit, omnibus patricijs,
ſpem nominis illuſtrandi, & ad poſteri temporis memoriam
propagandi, beneque de rege, ac Repub. merendi, maioris
quàm ſtipendia æſtimantibus, haud valde magno pecuniæ nu-
mero in ſtipendia collato, magnum exercitum cõſcribere po-
teſt. At quorum militum? Primum ſuorum, non alienorum:
deinde ex eo genere ſuorum, quod eſt, flos Reipub. ornamen-
tum

tum dignitatis. Qui non modò,cum vis illata repellenda, verumetiam pro laude Imperij certandum eſt, ſciunt ſibi pro focis, pro coniugibus, pro liberis, pro maiorum imaginibus, proque ornamentis omnibus, quæ niſi exiſtimatione conſeruata retinere non poſſunt, dimicandum. Etenim infamia notati, qui vel in prælio timidè, vel domi turpiter egerint, commodis ac ornamentis Reipub.& ipſo ſolo patrio, omnique commercio ac ſocietate, etiam a propinquis, ac ipſis cõiugibus, & liberis, indigni, more maiorum cenſentur: reis denique rerum capitalium, pro cuſtodia, pro carcere, pro vinculis, metus dedecoris eſt, morſque ipſa leuior ignominia, ac turpitudine, exiſtimatur. Vnde, cum magno ſtupore hoſtium, inclinatas noſtrorum acies, ad ſolam mentionem decoris & honeſti, ſæpè conſtitiſſe, ac non modo multo maiores copias, verum etiam ipſam locorum, ac propè fortunæ, quæ ſibi maximam partem in prçlijs vindicare ſolet, iniquitatem, ſuperaſſe conſtat. Docuere patres maioreſque noſtri, tum alibi, tum ad Gruneualdum pagum, Germanorum Cataphractos, ac legiones firmiſſimas ac ſtabiliſſimas vinci poſſe: docuerunt equitatus Turcici nauitatem, ac Ianizerorum obſtinationem animorum haud inuictam eſſe,& antè, ad Macedoniæ fauces, alijsq; in locis,& poſterius SIGISMVNDO primo regnante ad Rohatinum oppidum. Docuere multis in prælijs ſe Pannonijs, ac Bohemis virtute non impares eſſe. Moſchi verò, & Tartari, licet gentes ad bella natæ, quæ otio, ac quiete frui neſciant, ſemper laudis noſtræ ſeges ac materia fuere. Proximum Regem habuimus ingenio imprimis acuto & ſolerti, & charitate ac meritis erga patriam inſignem, pacis tamen, quàm belli, artibus magis deditum. Itaque quòd occaſiones virtutis declarandæ, vel non dabantur, vel propter inſitam animo Regis cunctationem amittebantur, videmur ſplendori, & magnitudini earum rerum, quas maiores noſtri geſſerunt, non reſpondiſſe. Vigebat tamen, vigetque ſtirpi illorum innatum decoris ac laudis ſtudium, animorumque robur. Nam, & quando poteſtas pugnandi a Rege permittebatur, noſtri, licet impares numero, numquam niſi re bene ge-

ſta

ſta ex pugna reuertere, plerique, otij domeſtici pertæſi, foris ſibi materiam bellandi, ac laudis parandæ, quæſiuere. Quid enim in Neuelenſi illo cum Moſchis prælio, omnibus ſæculis memorando, quid poſt in pugna, cum ijſdem ad Vlam flumẽ, ac item in conflictu cum copijs Errici, tum Suecorum regis, ad rus Morimum, qui Polonorum & Lituanorum militum animi fuere? quis ardor? quis vulnerum, mortisque contemptus? Quæ in expugnanda primum Tauro in Liuonia, deinde Isborco in Moſchouia, poſt Vla in finibus Lituaniæ, a Ioanne Moſchorum Duce, excitata arce, alacritas? quæ mentes? qui ſenſus? Qua cupiditate? quo impetu, ſæpè ſumptis ſponte armis, Tartaros fines noſtros inuadentes, aut repulerunt, aut vlti ſunt? Quid, anno ſuperiore, pauci noſtri, cum Bogdanum, ad Moldauiæ, quæ ab illo, in Ruſſiam profecto, defecerat, Regnum reducerent, quãtam molem exercitus Turcorum, & Moldauorum ſuſtinuere? quantam ſtragem in hoſtium exercitu fecere? infinitum eſſet ſingula noſtrorum militum ſuperioribus temporibus fortia facta recenſere, ex quibus appareat in Polonis Lituanisque nõ eſſe extinctam maiorum virtutem. Quare huiuſmodi milites, HENRICE Princeps, tantas copias, hancque materiam bellorum nactus es. Præterea verò bellicorum equorum multitudinem, commeatus facilitatem, materiæ naualis infinitam vim, omniumque commodorum ad bella inſtruenda & gerenda, atque ad extruendas & ornandas claſſes ſummas facultates, habebis. Exercendæ autem humanitatis & altitudinis animi, quæ dicitur, ubi ratio tutior eſt, q̃ apud illos, q recte facere, etſi malo coacti nõ ſint, ſciant, ac impetu naturæ ad honeſtatẽ ferantur? Qui etſi liberi ſint, & ſeruitutẽ ferre nequeant, nomẽ tamen regale magnum & ſanctũ exiſtimẽt. Qui ipſi domi omnis mãſuetudinis & facilitatis, foris hoſpitalitatis cõmendatione floreãt, in quibus nihil ſimulatũ, nihil fictũ reperiatur. Qui diuitias, potẽtiã, honores, legũ, ac diſciplinæ veteris tuendæ, Reip. conſeruãdæ & augendæ, Regumq; demerendorũ, nõ arrogãtiæ, inſolẽtiæ, pertinaciæ, inſtrumenta eſſe norint. Qui fidem Regibus datam ſemper ſanctè ac religiosè conſeruarint, charitatem non mo-

 do

dò erga reges ipſos,ſed erga regiā quoq; ſobolē, illius cōmodis & ornamētis diligenter cōſulendo,demōſtrarint. Manſuetudinis quidem, & moderationis animorū in hominibus noſtris,vel hoc euidens argumentum eſt,quòd,cū a morte Regis ſilerent leges, magiſtratuum poteſtas eſſet conſtricta, obmutuiſſent fora, non modò nullus motus, quod vix, in huius ſęculi ambitione, & auaritia, fieri poſſe videbatur, in Rep. extitit, verumetiam inimicitiæ, ob priuatas controuerſias antè ſuſceptæ, Reipub.donatæ ſunt, iuſticium non modò ſublatū, verumetiam in eos qui iniurias inferrent, grauiores pœnæ & ſupplicia maiora conſtituta ſunt, domi pax firmata, omnibus malis artibus conciliandi, quęrendiq; Regni via præcluſa eſt. Atque illud prætereà non minus euidens, quòd, in tanta ciuium dignitate ac præſtantia, nemo repertus ſit, qui ſummæ rerum præeſſe, quàm cum omnibus eodem iure viuere mallet. His autem ex rebus & illud facilè perſpicis, nullam gentem,nullos homines inueniri,apud quos rectius beneficia Reges collocent,qui & viuos omni officio ac pietate, & mortuorum memoriam gratiſſimis animis proſequantur. Quibus verò Regibus, tantæ taleſque, vt noſtris, ad beneficentiam liberalitatemque ſuppetunt copię, quæ licet Reges in dies multa ſuis tribuant, numqnam tamen exhauriri queant. Mihi quidem inter alia pręclara, & diuinitus comparata, Reipub. noſtræ inſtituta, hoc eam, nomenque noſtrum auxiſſe videtur, quòd inde a principio a maioribus noſtris ita fundata, & conſtituta eſt, vt ab ijs non tam ſuæ poſteritati, quàm poſteritatis virtuti, opes & ornamenta pararentur. Propterea cum omnia Regni vectigalia ita diuiſiſſent, vt alia priuati, alia publici iuris eſſent, publicorum partem Regi ac Reipub. deſpōderunt: multo maiorem verò excitandæ ac ornandæ ciuium induſtriæ reliquerunt, eaque honoribus ac magiſtratibus adiunxerunt, qui vt Regia ipſa dignitas, non eſt alicui familiæ addicta, ita non paucarum, ſed quarumuis patriciarum familiarum hominibus paterent, quorum ingenij ac virtutis vis, &
Epiſcopatus merita in Rempub. elucerent. Longum eſſet omnia commoda & ornamenta hæc enumerare, omnes Pontificatus, om-

niaq;

niaque ſacerdotia, omnes regionum, ac forum Principatus, quos Palatinatus, & Caſtellanatus vocant, omnes magiſtratus Regni, ac Regiæ, omnes Præfecturas, ac omnes honores ſingularum regionum, ac forum peculiares, omniaque munera. Ita cum in dies multi ex tenui fortuna, ſola virtute nixi, ad ampliſſimum quemque ciuitatis gradum perueniant, ſummasque opes conſequantur, fit vt, tot tantisque præmijs propoſitis, non deſit copia prudentiſſimorum & patriæ amantiſſimorum ciuium, qui non dubitent ſe, & ſalutem ſuam, pro ſtatu Reipub. & dignitate, ac amplitudine Imperij, in diſcrimen offerre, & quoniam virtutis & meritorum erga patriam æſtimator, & cenſor, ac horum, quæ dixi, præmiorum diſpenſator, legibus ac inſtitutis noſtris, Rex eſt, cùm ea innumera ſint, quod tribuat quotidie alicui, numquam deeſt. Iam verò dignam & conuenientem ingenio tuo excellenti, ac prudentia ſingulari, materiam, quam tractes, & in qua verſere, nactus es. Quæ quanta ſit in tam longè lateque patenti Regno, ea varietate ciuium, ac tot nationibus, quæ, vt à communione Reipub. recedas, vix quidquam ſimile inter ſe habeant, diuerſis linguis vtantur, diuerſis legibus ac moribus regantur, conſtante, atque tot gentibus, & magna ex parte ferociſſimis, cõtinente, & proximo, facilè intelligis. Fateor ſanè ſic à maioribus noſtris compoſitam & informatam eſſe Rempub. noſtram, vt multa Regibus, ad ſuperandam ſummi muneris, negotiorum molem, adiumenta conſtituerent. Etenim, cùm duo hominum genera in Polonia eſſent, vnum plebeiorum, alterum patriciorum: cumque plebeios arationi, paſtioni, omnique ruſtico operi, artificijs quibuſuis, ac mercaturæ operam dare voluiſſent, & vt ijs rebus vacarent, onere militiæ leuaſſent, leges etiam de priuato iure, quibus Germaniæ populi, quibuscum maxima commertia habent, vterentur, vrbanis & oppidanis permiſiſſent, patricios verò, vt ſuprà dixi, ad militiam, & Reip. procurationem deſtinaſſent, quod neceſſe fuit, ob tantam patriciorum multitudinem, ac remotiſſima & ſeiunctiſſima, maxima ex parte, eorum domicilia, priſtinum primùm regnum, deinde omnia quæcũ-

Palatinatus. Caſtellanatus.

Officia. Regni.

Officia Curiæ.

Capitaneatus.

Officia & dignitates ſingulorum Palatinatuum, & ſingularum terrarum.

Plebeij. Ruſtici. Artifices. Mercatores

Oppidani.

Nobiles.

que vel in ciuitatē aſcita, vel bello deuicta acceſſere, in regio
Palatinatus. nes,ac ipſas regiones in fora diſtinxerūt,ex qbus belli paciſq;
Diſtrictus. munia obirētur. Itaq; & per regiones militatur, & qualibet in
regione aliquot in foris ius redditur,ac quæuis regio, ſua con-
Comitia cilia,ſuoſq; magiſtratus,ac imaginē quandā quaſi Reip.habet.
particularia. In his cōcilijs Rex,ſi quid de Rep.noui,vel de bello ſtatuendū
eſt,abſens per literas,& nūtios promulgat : inde legati cū mā-
Comitia generalia datis,in cōmuni totius Poloniæ &Lituanię cōcilio,leges,quę
a Regibus ferātur,aut iubent,aut antiquant. Ac præterea Regi
Officiales adiunctū eſt Senatus conſiliū ſempiternū,quod ex magiſtrati-
Regni. bus pręcipuis,regionū,& forū principibus,pōtificibusq;,hoc
Palatini & Caſtellani. Epiſcopi. eſt primarijs viris, inter quos omnis Imperij partes ac regio-
nes ſapientia & auctoritate regendæ, potiſſimaque Reip. mu-
nera procuranda,diſtributa ſunt,cōſtat. Hunc Senatum Rex,
ſi quid ad patricios ferēdum,vel prout tempus & res inciderit,
maturandum eſt,conſulit, cum hoc de criminibus publicis de-
cernit,& de controuerſijs priuatis omnium, a quibus eſſet ap-
pellatus,adhuc decernebat. Itaque Rex noſter,cùm omnia ad
præſcriptum legum reuocanda,& quidquid in Rep. ſuſcipien-
dum & agendum ſit,ex auctoritate patrum conſcriptorum ſu-
ſcipiat & agat,multis partibus faciliorem,& expeditiorem ad-
miniſtrationem regni habet. Veruntamen cùm vtrique ordi-
ni dux & auctor,ac ſummi conſilij moderator eſſe debeat,ma-
gno illum ingenio,magna ſolertia præditum,ac omnes leges,
omnia inſtituta, ſcientia comprehenſa tenere opus eſt, ſingu-
lorum regni populorum ius,cōditionem, mores noſſe, in fœ-
deribus eſſe verſatum,tenere exempla maiorum. Quæ cogni-
tio cum uaria & multiplex ſit, tum verò illud non paruæ pru-
dentiæ videtur, perſpicere ſingulorum hominum ingenia, vt
diſcernat qui ad neceſſarias apparitiones adhibendi, qui in ſe-
natum legendi,quibus ſacerdotia,honores,imperia, magiſtra-
tus mandandi ſit : in quo primum exiſtimatio Regis, deinde
Reip. ſalus agitur, vt Rex fideles & peritos conſultores, adiu-
tores negotiorum publicorum, & miniſtros Imperij ſibi aſci-
ſcat. Cum verò Reſp. quoque noſtra ſenſerit incommodum
diſſenſionis de religione, quod pleręque Chriſtianæ prouin-

ciæ, ad quas hæc opinionum de Deo eiusque cultu diuerſitas permanauit, ſenſere, magni erit iudicij, magnique conſilij prouidere, ne quid violenter agatur, neve ad diſcordias & bellum ciuile deueniatur, quod alijs regnis nuper plurimũ detrimenti attulit, noſtro, Barbaris in omnem occaſionem opprimendi noſtri intentis, exitium ſtatim afferret. Adhæc, multa necdum inchoata in Repub. deſiderantur, multa, ut res humanę ſunt caducæ, & inconſtantes; dilapſa fluxerunt, quæ ratione & conſilio conſtringenda, conſtituenda iudicia, plurimaq; alia præſidia firmitatis Imperij reſtituenda, & de nouo comparanda ſunt. His in omnibus tum cognoſcendis, tum efficiendis, mentis tuæ acumen & induſtria occupabitur. Quibus quidem veriſſimis laudibus, ſatis tibi, & regia in domo nato, & regijs virtutibus ornato Principi, commendatum Regnum noſtrum, vel potius iam tuum, arbitror.

QVID autem patria noſtra a te expectet, quid de te ſibi polliceatur; patere quæſo me illius oratione exponere: quam tecum ſic agere, & quodammodo loqui tacitam, exiſtimato. Magnum onus Regiæ dignitatis eſſe ſentis, HENRICE, etiamſi hæreditate, ac maiorum meritis obuenerit: multo tamen maius & grauius, cum iudicio eorum, qui parere debeāt, delatum eſt. Itaque, ut glorioſius fuerit, tibi non incunalibus deſponſum, ſed in campo; tot virorum liberis animis affectorum, alienorum, ac nulla ex parte obnoxiorum, ſuffragijs, Regnum datum eſſe: ita eo plus, te inuigilare ac elaborare oportere cernis, vt efficias ne eos, qui te delegerunt, iudicio lapſos eſſe appareat. Geſſiſti res magnas, verum eam prouinciam nunc tibi oblatam vides, ut multo maiora, ijs quę geſſeris, & mihi, & Reip. Chriſtianæ à te debeantur. Omnium, orbis terrarum, gentium animos expectatione commouiſti. Qui honori tuo fauent, te illum fore augurantur, qui non modò meis ciuibus bellicam exiſtimationem, quę vitio ſuperiorum temporum iacuit, reſtituas, & iniurias mihi a barbaris illatas vlciſcare, verũ etiam afflictam rem Chriſtianorum erigas & excites: Qui inuident tibi, nihil magis cupiunt, quàm vt laudi & gloriæ ſeruire deſinas. Chara tibi Gallia eſt, quòd te genuit, quòd educauit:

multis

multis quoq; nominibus tibi tuæque familiæ Gallia obſtricta eſt, quòd à vobis ſæpè adiuta, & defenſa in periculis, aſſiduè verò ſummo ſtudio exculta, & ornata eſt. Ego te nullis tuis, tuorumque meritis, prouocata, ad ſummum honorem extuli. Itaque cùm, ſapientiſſimorum hominum iudicio, plus tribuendum ſit amori patriæ illius, quæ excepit, quàm eius quæ genuit, confido me tibi fore chariſſimam, quæ te vltro aduocauerim, & regia dignitate decorauerim. Cùm te habeo, reddita mihi omnia, quæ in ſuperioribus Regibus elucebant, videbuntur. Elatio animi, ac robur, & felicitas BOLESLAORVM: conſtantia in rebus aduerſis VLADISLAI LOCTICONIS: moderatio in ſecundis VLADISLAI IAGELLONIS: magnificentia, ac iuſtitia, CASIMIRI MAGNI: grauitas & ſapientia SIGISMVNDI: lenitas & manſuetudo AVGVSTI. Itaque modò me beneuolentia complectare, æquius illorum deſiderium feram. Eam declaraſti naturæ tuæ bonitatem, vt ipſa per ſe impultrice, etiam ſi nulla iure iurandi, quod legatis meis à te datum eſt, religione obſtricta foret, ea quæ mihi promiſiſti, te non tantùm repræſentaturum, ſed cumulatiora redditurum, ac deinceps omnem operam, omne ſtudium, ac omnia conſilia ad vtilitatem & dignitatem meam relaturum confidam. Hac ſpe freta tibi Remp: bona, fortunas, iura, libertatemque meorum committo ac commendo: libertatem, inquam, meorum, quæ illis vita potior & optabilior eſt, tibi committo & commendo: ac quòd eius, non ſecus ac tuæ, curam habebis, pro re certa ſtatuo. Qua firmiſſima ſpe, ſi, quod omen auertat Deus, decidero, ò me non modò miſeram, ſed & ſtultam, quòd non tam miſericordia, quàm reprehenſione multorum, quos tibi poſthabui, digna videbor. Si his quæ à te expecto fruar, non modò me beatam, verùm te quoque beatum, qui in ſumma ciuium charitate, pulcherrimorum factorum conſcientia, cùm certiſſima ſpe immortalis memoriæ perfruère, & cuius familiæ ac poſteritatis dominationem, non modò mei, verumetiam aliorum Imperiorum populi deinceps certatim depoſcent. Hæc tecum ipſa patria noſtra.

No

Nos verò omnium regnorum conditorem, conſeruatorem, ac præſidem ſummum, qui Regum omnium mentes nutu ſuo regit, precamur, veneramur & imploramus, vt quemadmodum noſtrorum hominum corda ſpiritu ſuo afflauit, vt te omnes ſummo conſenſu Regem dicerent, ita tua omnia conſilia atque facta, ad ſui nominis laudem, & ſalutem, ac commoda noſtra dirigat, & te, ac Regnum noſtrum, quod pulcherrimum & florentiſſimum adhuc eſſe voluit, tueatur ac defendat. Quamobrem vt iam mandata exequamur, vt te populorum Poloniæ, Lituaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Kiouiæ, Voliniæ, Podlachiæ, Liuoniæ, Senatus, Patricij, & ciuitates, quæ ſuffragij lationem habent, Regem legibus ac inſtitutis maiorum creauère: ita nos quoque hic te omnium eorum populorum Regem, quod tibi magiſtratuique tuo, ac nobis, & Reip. noſtræ fauſtè, feliciter, atque proſperè eueniat, renunciamus, rogationiſque de Imperio tuo iuſſe, publicas tabulas tibi reddimus, & tui, more maiorum, inaugurandi diem ante VI. Non. Octobr. in comitijs dictam denuntiamus, atque vt in Poloniam quamprimùm proficiſcare, te vehementer oramus. Quæ inſtent regno noſtro procellæ, quæ tempeſtates, & ſi nos taceamus, res ipſa loquitur. Hæ ſolo aduentu tuo depelli poſſunt. Omnium animi ſunt intenti in aduentum tuum. Iam cogitatione præcipio, eius diei gratulationem ac incredibilem noſtrorum lætitiam, qua te ornatum Regijs inſignibus in ſolio regali, tamquam de cælo delapſum, diuinum hominem intuebuntur. Noli igitur deeſſe, Rex potentiſſime, amantiſſimo & cupidiſſimo tui Regno, noli differre gaudium tuorum, matura iter eò, quò te diuina voluntas, quò te virtus tua, quò fauor hominum vocat. Opera, ſtudio, fide, ac diligentia, vt Pater Reipub. noſtræ dicare, effecturus, & nuntijs Chriſtianis populis lætiſſimis orbem terrarum breui impleturus, ac nobiliſſimos triumphos, de noſtris, ac Reipub. Chriſtianæ deuictis hoſtibus, inſtructurus.

EPISTOLA DE EO QVALEM SE Fuldæ Sereniſſimus Poloniæ Rex geſſerit, cum ibi feſta Natalis Domini celebraret.

ACCIPITE Reuerendi Patres, & Chariſſimi Fratres non tam, quemadmodum pientiſſimus Polonorum Rex Fuldam ingreſſus ſit, quàm quid toto tempore, quo ibidem fuerit, peregerit. Ea enim me ad ſe rapiunt, nec in eius ingreſſu quãuis ſplendidus admodum fuerit, explicando immorari patiuntur. Ingreſſus igitur Fuldam Rex eſt die Mercurij, qui xxiij. Decembris fuit, veſperi; diſceſſitque Poloniam verſus Dominico die ſequenti hora circiter decima, quo quidem tempore multa ſanè cõmemorabilia ac Chriſtianiſſimo Regis filio digna, perfecit. Die enim Iouis ſequenti mane a Reuerendo Patre Rectore ſalutatus, & ad rem diuinam inuitatus, ſe ſocietatis amantiſſimũ ſignificauit, ac ad templum noſtrum venturum dixit, atque ita quidem mox eſt cum omnibus ſuis ſubſequutus, ut uix R.P. Rector domum nuntiaturum eum perueniret, tum igitur miſticum ſacrificium audiuit eius ſacellario operante. Hora ſecunda a meridie veſperis interfuit, quæ ſicut aliâs ſemper muſico concẽtu, organorum ſono, & reliquo apparatu quantum more noſtro fieri potuit, ſolennes fuere. Ad Aulam noſtram ~~noſtras~~ puerorumque orationes, & carmina diuerſarum linguarum, & formarum ſpectatum uenit, recitantes quendam ex noſtris, & pueros carmina patientiſſime lætiſſimeque audiuit, & noſtros humaniſſime, qui præſentes erant, mirantibus omnibus, ad ſe vocauit, manum porrexit, honorem exhibuit, amantiſſimè, & diu loquutus eſt; ſocietatis operam commendans, illam ſibi chariſſimam declarans, noſtram fœlicitatem laudans, qui in ea uiuimus: commẽdans item Reuerendiſſimum Principem noſtrũ, quod nos foueat, idq;, ut impenſius faciat, ei nos multis modis commendauit. caput ſubinde nudans, & humaniſſimè ceruicẽ inclinans, vt ſimul clarius audiret, & audiretur, totum ſe nobis offerens. Poſt quæ omnia ad Arcem Principis, in qua hoſpitium

tium habebat, ipſo Reuerēdiſſimo latus Regis claudēte, quod deinceps ſemper factū, rediJt. Nocte ſacra ortus dn̄i ad preces matutinas hora decima venit quibus finitis, & primo ſacro cātato media nocte, tria alia ſacra continuò audiuit, quæ ad horā ſecundam protracta ſunt, & quidem flexis ſemper humi genibus, in poſtremoq; ſacro ſanctam Euchariſtiæ hoſtiam ritè ab omni crimin[illegible]e expiatus, humillimo oris geſtu, primoq; menſis habit[illegible]rante magno Elemoſinario, deſumpſit. nocte ferè tota [illegible] ſanctiſſime conſumpta, iterum adeſt ad ſummā Miſſam audiendam: in hac cum Reuerendiſſimus Princeps noſter ſacroſanctum panem deſumpſiſſet, Rex quaſi exultans manus arctius complicatas altius erexit; eademq; lætitia diſcipulos noſtros, nonnulloſque alios vidit communicantes; & cùm multi ſibi ſucceſſiſſent in diuina hoſtia percipiēda, & aliqui pauci vltimo loco accederent, timeretq; ne ſacerdos illorū cōmunionem in aliud tempus differre uellet, innuit Rex ſuo Elemoſinario, vt illis quoq; Domini corpus porrigeretur. Sic tūc domum regreſſus, vix prandio ſumpto ad Templum ſummum iuit, illic Veſperas auditurus, ubi cum Caroli magni ſtatuam vidiſſet, eſſetq; ei relatum a maioribus ipſius, hanc Fuldenſem Abbatiam fundatā per reuerendiſſimū Poſnaniēſem, hanc hiſtoriā ſibi a noſtris deſcribi petiJt, quod & factū eſt. Die feſto diui Stephani protomartyris, ab eodem Reuerēdiſs. Poſnanienſi interrogatus, in quo templo rem diuinā ſibi celebrari vellet, apud patres, inquit, ſocietatis Ieſu, itaq; ad ſacrū & Veſperas rurſum ſimili pietate templum noſtrū acceſſit, & quidē cum celeberrimo ſemper comitatu ad nos uenit, tū maxime cęlebri die Natalis Chriſti memorię dicato, tot enim uiri principes ſacrati Illuſtres, Nobiles, non modo Galli, & Poloni, ſed Germani etiā huius principatus ſimul cōcurrerūt, vt vix templum tantā multitudinem, quāuis ampliſſimū, caperet. Die dominico, quo (ut dictū eſt) profectus eſt, Miſſam in ſacello arcis auſcultauit. Fuit igitur in tribus Tēplis illis diebus ſacris, ſumpto tēplo Arcis, & noſtro, ſed in illorum ſingulis ſemel tantū, in noſtro ſexies; cū autē, & vię ualde cænoſę eſſent, & Collegiū ab arce remotum eſſet, nec equo, nec uehiculo aliquo vſus eſt,

quod ideo etiã libẽtiꝰ Regem feciſſe Epiſcopus Poſnanienſis indicauit, ut non ſolum ipſe deuotioni ſuæ ſatisfaceret, & amorem, beneuolentiamque erga nos declararet, ſed hoc exemplo alios etiã, ſi poſſet, cõmoueret. Orans in templo ſæpe Roſario, quod fuit, vt videbatur, materiæ non præcioſæ, ſed in quo frequentis uſus ſigna apparebant, ſępius libro præcario vtebatur, crucis ſignum identidem fronti, oculis, ori, pectori exprimebat, genibus ferè ſemper, & quidẽ nocte Natalis Chriſti continuis quaſi quatuor horis, flexis, manus frequẽter complicabat, relgioſiſſimè nonnũquam, quaſi ardentiore feruore impulſus, eas eleuans, numquam cum aliquo loquebatur, præterquam cum Epiſcopo magno Elemoſinario, qui ſemper iuxta Regem manebat, idq; breuiſſime, & ijs, vt videbatur, tãtum de rebus, quæ ad religionem, & pietatem pertinebant. In ſacro circa id tempus, quo ſanctus decantatur hymnus. Surrexit, atq; uerſus ad nauim templi grauiter aſpexit, ut intelligeret, qua religione ſui diuinis intereſſent, qui certe ſuo pientiſſimo Regi minime diſſimiles fuere. Sed inter eos Illuſtriſſimus Dux Niuernienſis, & Reuerendiſſimus Dñus Epiſcopus Poſnaniẽſis collegiorũ Societatis in Gallia & Polonia fundatores. nec non Illuſtriſſimus Laski Poloniæ Palatinus Societatis amantiſſimus, eminebant. In ueſtitu nullus non modo luxus, ſed mira moderatio, quem etiam uix umq; mutauit. Quid multa? eã Rex externus, ſęcularis, occupatus, in itinere hieme diſtractus, oſtendit pietatem, quam in multis religioſis poſſimus deſiderare. Diſceſſurum Regem cum tertio R. P. Rector acceſſiſſet; mira eum tertio humanitate ſuſcepit; omnia quæ poſſet, Societati pollicitus eſt, eamq; perpetuo ſe quam commendatiſſimam habiturum promiſit: atque hanc ob cauſam ſe quoque ſummo Pontifici, & (ſi quando opus foret) Imperatori ſcripturum, quod & poſtmodum fecit. Rex in Aula Reuerendiſſimi Principis noſtri publicè cũ proceribus, quos Princeps noſter inuitauerat, ter prandit, & benedicente menſa gratiaſq; agente R: P. Rectore plurima pietatis, modeſtiæ, temperantiæ omnibus reliquit argumenta. Hæc omnia vidimus, ueramq; uoluptatẽ percepimus Reuerendi Patres, & fratres in Chriſto

dilecti

dilecti,uos quantam poteritis ex hac qualicumq; deſcri ptione haurite. Deus opt.max.talem, & tãtum Regem latiſſimæ Poloniæ Regno,& Eccleſiæ catholicæ diu ſeruet in columem, & ſoſpitẽ,uos eiuſdem, & noſtri in ſacrificijs, & votis ueſtris memores eſtote. Valete. Fuldæ primo Ianuarij. M. D. LXXIIII.

Ioannes Gerardus.

PETRI MISCOVII EPISCOPI PLOCENSIS ORATIO, QVA REGEM HENRICVM *Cracouiam ingredientem omnium ordinum Regni Poloniæ, ac magni Ducatus Lituaniæ nomine excepit.*

SACRA ET SERENISSIMA MAIESTAS REGIA,
& Domine Domine Clementiſsime.

QVOD SVMMOPERE ac ſuppliciter a Deo precati ſumus, iam ex eo tempore: cum tu proximis huius Regni comitijs, omnibus omnium ordinũ ſuffragijs Rex noſter creatus & declaratus eſſes: vt ad nos, & ad gubernacula Reipub. noſtræ, primo quoque tempore ſaluus, proſper, & incolumis venires, id nobis iam ex animi ſententia eueniſſe: Deo imprimis Opt.Max.immortales gratias agimus: tibi verò eam fœlicitatẽ gratulamur ex animo. Qua quidem in re,ſingulare in nos Dei beneficium agnoſcimus: idque admirabili eius prouidentiæ, tuoq; benigno ſideri acceptum referimus.

Nam cum in tantis ampliſſimorum Principum ſtudijs, qui & pro pter oportunitatem ac vicinitatem ditionum ſuarum:& propter arctiſſima amoris & beneuolentiæ vincula, quę illis cum Regibus noſtris interceſſerant, ad hoc Regnum animum adieciſſe videbantur: tu tamen vnus ex omnibus tantis locorum interuallis a nobis diſſitus, ac planè diſiunctus maximè idoneus exiſtimatus ſis,qui prę cęteris ſedem Regiam,& ſoliũ Regni Poloniæ obtineres. Quis eſt, quin omnino intelligat,

hoc tam memorabile factum, ad diuinam potius vim, quam ad humana aliqua ſtudia, aut conſilia referri debere? Neq; vero tu quoq; non plurimum, ſecundum Deum tibi ipſi, tuiſque præſtantibus animi, ac ingenij dotibus, te hoc nomine debere exiſtimes, cum enim fama tui nominis, & rerum in hac florenti ętate geſtarum gloria per orbem terrarum increbeſceret: tuæq; præclaræ ac planè heroicæ virtutes, omnium ſermonibus apud nos celebrarentur: imprimisque ſingularis pietas in Deum, ſumma in rebus adminiſtrandis prudentia, in iuredicēdo ſanctitas & iuſtitia, re in militari peritia, in adeundis pro patria periculis, & laboribus tollerandis, animi magnitudo incredibilis, deniq; in omnibus dictis, & factis, mira quædam grauitas, fides & conſtantia, ſingulari ſuauitate, & manſuetudine morum condita, Hæ, inquam, aliæque multæ ac diuinæ tuæ virtutes, cum in auribus hominum perſonarent, incredibile dictu eſt, quanto tui deſiderio, omnium noſtrum animi exarſerint: & quàm magno non modo ſtudio, uerum etiam animi contentione, ac prope dimicatione te ſibi Regem omnes expoſcerent. Habent enim hoc viri Illuſtres, & inſigni aliqua virtute præditi, vt etiam abſentes, & ne de facie, quidem cogniti fama ſola & opinione virtutis, mirabiles ſui amores, in animis recte inſtitutis excitent. Sed & gens Polona habet hoc natura ingenitum, & moribus ac inſtitutis maiorum noſtrorum per manus traditum: vt præter virtutem & honeſtatem, nihil admodum admiretur. Ac cæteris quidem rebus quæ ſunt ſubiectæ fortunæ ludibrio, auro, argento, opibus, id genus alijs, quibus maximè vulgus hominum, & imperita multitudo capitur, facile concedat alijs nationibus: quæ vero ſit honeſtatis amantior, quæ magis appetens veræ laudis, & gloriæ & earum rerum omniū, quæ decent ingenuos, & liberaliter educatos homines, profecto gens noſtra nulli unquam genti conceſſerit. Cum te itaque homines noſtri, & bellicis artibus, & ijs virtutibus, quas illi vehementer ſuſpiciunt, ornatum eſſe intelligerent, & mores Gallicos a Polonorum moribus non eſſe multum aſſimiles acciperēt, nihil prius aut potius faciendum putarunt: quàm vt te ſibi

primo

primo quoq; tēpore Regem aſciſcerēt, te iuſtitiæ ac pietatis, te pacis ac tranquillitatis publicæ, te omnis honeſtatis ſanctiſſimum Præſidem, ac vigilantiſſimum cuſtodem iudicarent: te denique omnium hoſtium Regni, omnium vitiorum, omnis turpitudinis, omnis contra ius & fas, temeritatis & audaciæ acerrimum vindicem, & propulſatorem ſibi pollicerentur. Atque hæ quidem cauſæ ſunt Ampliſſime REX, ob quas tuus conſpectus nobis gratus, expectatus, exoptatusque accidit, hæ rationes, quas nos ſequuti, te præ cæteris expetiuimus, te nobis, alijs poſthabitis, Regem deſignauimus: in tuos deſideratos complexus, quamprimum conuolare cōcupiuimus, quod cum nobis inter hæc initia, tam bene & fœliciter ceſſerit: imprimisque quòd te iam, Deo ſit gratia, ſaluum & incolumem habeamus; nihil profecto dubitamus, diuino quidem numine confiſi, & hac tua præclara indole freti: quin deinceps quoque, & nos maiorem indies, atque maiorem, conſilij noſtri fructum capiamus, & tu eam expectationem, quam nobis de te celebris tuarum virtutum fama concitauit, non modo tueri, ac ſuſtinere; uerum etiam vincere perfacilè poteris. Facilè enim intelligimus te munus hoc, & officium adminiſtrandi huius Regni ſubire ac ſuſcipere voluiſſe, non propter conſectandas voluptates, aut immoderatam aliquam dominandi cupiditatem: non propter opes nimias, & potentiã; hæc enim tibi in paterno tuo Galliarum Regno, abunde ſuppetere poterant. Sed, vt in hoc exercendæ virtutis patentiſſimo campo excurrere: atque eam Spartam, quæ tibi diuino munere obtigit, ita tueri & ſuſtinere poſſis, vt & tibi, & tuæ clariſſimæ Valeſiorum familiæ, nomen immortale, & monimentum ſempiternæ gloriæ, ad poſteritatis memoriam comparares. Itaque quod tibi Reipublicę noſtræ, atque adeo nobis omnibus, fœlix, fauſtum, ac fortunatum Deus eſſe velit, tibi HENRICE REX Clariſſime, eam fœlicitatem, etiam atque etiam gratulamur: te Regem noſtrum conſalu-

quas quidẽ res, vita ipſa longè chariores habemus, tibi deniq; tuoq; imperio noſmetipſos, noſtraq; omnia dedimus, ac ſubmittimus. Quæ ſi tu rectè, ſicuti ſperamus, nobisq; pro certo pollicemur, apud te reputaueris, ſi iuſtitiam & pietatem, quæ ſunt Regum & Regnorum firmiſſima firmamenta, ſanctè colueris: ſi aures tuas præcluſeris turbulentis conſilijs, vanis & factioſis hominibus, aſſentatoribus, ſuſurronibus, & id genus alijs portentis, quæ ſunt principum & rerumpublicarum capitales ac funeſtæ peſtes: contra verò, ſi viros graues, prudentia, pietate, & modeſtia præditos, ad omnia tua conſilia, & publicè & priuatim adhibueris: ſi viros bonos & de Repub. bene meritos præmijs & honoribus, improbos & maleficos, meritis pœnis affeceris, ſi deniq; omnes adminiſtrandi tui Regni rationes, non ad priuatas cupiditates, ſed ad publicam omnium ſalutem, ac vtilitatem, atq; ad legis formulam, & præſcriptum referre ſemper volueris: mihi crede, REX Ampliſſime futurum, vt ſis & habearis fœlix, fortunatus, & Beatus REX, Neq; te nos Regem tantum & Dominum, ſed verè patrem patriæ appellandum & Reipub. parentem habendum, iure optimo celebimus: tibiq; fidem noſtram, & omnia officia noſtra, ſumma animorũ integritate ſemper præſtabimus, pro te & pro ſalute tua, ſalutem noſtrã, fortunas & facultates noſtras, & quidquid chariſſimi habemus, in vita, vitam denique ipſam, pariter cum ſanguine profundere, ſi quando vſus fuerit, non dubitabimus. Quare age, HENRICE REX clariſſime, id quod tibi bene & fœliciter eueniat, ingredere bono omine Vrbẽ hanc, huius Regni primariã: ſuccede tectis tuis Regijs, ut in ſolio Regni Poloniæ collocatus, diademate alijsq; inſignibus Regijs ornatus, ad clauum & gubernacula Reipub. noſtræ ſedeas: Quæ ut tu fœlix & proſper, ſaluus & incolumis, nobisq; ſalutaris, quamplurimis annis teneas: & vniuerſum orbem terrarũ fama tui nominis repleas, nobisq; tandem deſideratam ex te poſteritatem relinquas, quæ longa annorum ſerie permultis ſęculis nobis, & poſteris noſtris, iuſtè ac legitimè imperet, tibi etiam atq; etiam ex animo precamur.

L'ORDINE TENVTO

NELL'INTRATA DEL SERENISSIMO RE IN LA CITTA DI CRACOVIA.

COMINCIO la mattina per tempo a comparire in queſta città la famiglia, & li vfficiali Regij, li quali a frotta, a frotta, hora a 30. hora a piu, e meno veniuano entrando; parendo loro forſe ogn'indugio vn'anno di venire a rpoſare da coſi lungo & aſpro viaggio, di maniera che'l Re con pochi de' ſuoi reſtò a dietro vna lega, oue ſi era fermato il giorno innanzi per riceuere tutti li Palatini, e gli Ordini del Regno e della Città che andarono a incontrarlo, & a baſciargli le mani. Et perche dal numero infinito de' caualli, e dalla moltitudine del popolo che cõcorreua, il ſentiero ſi veniua a chiudere, & ſarebbe la coſa andata fino a mezza notte; fu deliberato, che ſubito doppo deſinare cominciaſſero a paſſare di mano in mano quelle genti, ch'erano vſcite per diletto, & in tãto furono recitate in cãpagna ſotto vn grandiſſimo arco fabricato a queſto effetto due orationi l'vna in nome del Senato l'altra in nome de la vniuerſità di Cracouia: & in tãto forni di paſſare la turma de' caualli ch'era vſcita ſolo per vedere il Re, che paſſaua piu di 8000. verſo le 21. hore in bella ordinanza cominciarono appreſſarſi a la città le compagnie de' Signori e Principi di queſto Regno, armate tutte a la leggiera, eccetto alcune bande d'homini d' arme che poteuano eſſer 1500. Haueua ogni compagnia i ſuoi proprij vfficiali marciando a 3. a 3. con le lancie dipinte e miniate d'oro e d'argento. Paſſaua prima in ogn'vna di queſte il luogotenẽte di quel Signore di cui era la cõpagnia montato a cauallo, & veſtito ſuperbamente cõ la mazza d'argento ch'era dorata in mano, e dietro lo ſeguiuano i paggi, e doppo eſsi vn ſeruo, tutti tre veſtiti del medeſimo habito de'l ſuo Padrone, & montati a cauallo del medeſimo mantello e vita ſenza pur hauer li guarnimenti diuerſi; & quelli gli portauano, l'vno la celata con vn faſcio di penne bianche di pauone ſopra, le quali raccolte in vn groppo o d'argento, o d' altra materia pareuano creſcere vnite come d'vn vaſe ſenza ſuperarſi l'vna con l'altra, l'altro lo ſcudo e lo ſtocco col ſodero, & con gli elsi d'argento. Il ſeruo la lancia con la inſegna. Et doppo lui veniuano 4. 5 fin 8 valletti ſopra ronzini che guidauano altrettãti caualli a mano chi Turchi, chi Giannetti: di modo che nõ bene ſi poteua diſcernere qual fuſſe piu degna coſa o la politezza, & la perfettione d' eſsi, o il prezzo e la vaghezza delli guarnimenti; percioche altri erano bardati a maglie minutiſſime che pareuano d'argento, e d'oro: altri a piaſtre fregiate' con gemme e perle: altri eſſendo ornati ſolamente di fornimenti ordinarij li haueuano chi di ſeta, chi di panno d'oro, & chi di piu ricco drappo, conteſti con gioie, & con ſottiliſſimi ricami, l'vna de

ſa,& queſti il fodro del medeſimo drappo,e colore,che erano le Selle Alcuni portauano ſopra'l capo i pennacchioni bianchi,come s'è detto, & altri ſopra la groppa alcune roſe di perle e d'intagli con gioie. Dietro a queſti ſuccedeuano li tàburi cio è le gnacchere alla Turcheſca & alle ſpalle loro 6.& 6 trõbette,& in qualche compagnia 12. veſtiti tutti a vna liurea, ſecondo la cõpagnia a chi ſeruiuano,la quale marciua,come pur ho detto, a tre a tre per fila, alcuni con le lancie, alcuni ſenza,ma però armati tutti chi di piaſtra chi di maglia,& altri con le canne d'India,ch'esſi ſtimano piu ſicure che le lancie. Altri poi con gli archi, & turcasſi. & in queſti habiti erano diuerſi non pure in tutto il corpo de la caualleria, ma anchora in ogni cõpagnia ſeparata. Alcune ſe ne vidde in numero di 600.fino a mille caualli, come fu la prima, ne la quale paſſauano innanzi 60.huomini veſtiti di lupi ſeluatici, c'haueuano a tutte due l'orecchie del cauallo la teſta di vn lupo, che con la coda veniua ad appogiarſi al petto,& con le zampe pareua che ſi teneſſe al collo da ogni parte: & queſti erano coſi ſimili e ne gli habiti, e ne' caualli che ne per diuerſità de le pelli, ne per diformità de 'corpi nõ ſi poteuano diſcerner l'vno da l'altro, e dietro haueano i 20. ſerui con le canne d'India veſtiti di ſcarlatto con le celate in teſta. Appreſſo ſeguiuano 300. altri tutti di damaſco morello ſopra le camiſcie di maglia portàdo ogn'vno vna collana d'oro ſotto il braccio, & vna lancia con vna banderuola bianca, & morella. Erano queſti ſpallegiati da 300. Tartari, che per hauer loro gli archi, & li turcasſi caualcauano molto ſpediti: eſſendone portati alcuni altri in carro come in Trofeo fatti ſchiaui da Polacchi per molte rubberie, & ſchorrerie da loro fatte. Dopò loro venia vn'altra banda d'armati a la leggiera con le camiſcie di maglia a la'ſcoperta in numero di ducento in circa, vedeuaſi poi comparire col medeſimo ordine vn'altra compagnia ſe bene in numero piu piccola piu vaga nondimeno & piu diletteuole asſai: percioche oltre li caualli menati à mano, ſe ne viddero due vno col pelo tàto riccio,e coſi ben compoſto, che pareua veramente vn grande agnello, & l'altro cõ le ali coſi ben acconcie,& col becco tanto legiadramente attaccato, & con le vnghie coſi ben congiunte a l'eſtremità del piede, che a tutti raſſembraua vn'Hippogrifo. Erano li colori di queſta giallo e turchino, & li primi haueuano ſopra li corſaletti vna camiſcia di raſo giallo con le bande turchine,& tutte le targhe coperte di penne di ſtruzzo, hauendo anco ornato in queſta foggia i fornimèti de i caualli,e poſtoui vn faſcio,che pèdeua dal collo, & ſubito doppo queſta ſeguiua vna ſquadra di molti veſtiti a la Moſcouita,pure in cõditione di ſerui portando le canne d'india con gli habiti rosſi coperti di pelli negre,e con la celata in teſta hauèdo a le ſpalle vna frotta di molti che erano coperti esſi e li caualli di precioſisſime pelli di Leopardi, che pareua vno ſtupore,come vn tanto numero ſi trouaſſe per armare poco meno di 100. huomini con li caualli. Queſti haueuano due coſe notabili oltre a quelle c'ho detto l'vna che'l collo de caualli era ſerrato da le ſpalle fino al capo di due grà l'ali d'Aquila,& vna n'haueua alla cima dell'elmo,& vn'altra a la pùta della targa, l'altra c'hauèdo le targhe a l'Albaneſe per hauerle coperte con vna ſottilisſima banda d'argèto cõficcata lo ſcudo cõ le brocche indorate groſſe quàto vna noce pareua che fuſſero tutte d'argento, Comparue poi vn'altra cõ-

pagnia

pagnia con la impreſa bianca, & nera, c'haueua tutti li caualli coperti di velluto ne ro cõ vn taglio d'argento & con gli altri fornimenti d'argento ſemplice, & in queſta ſi vedeua venir quello che ſonaua la gnacchera di maniera inuolto in vna pelle di caſtrato & l'altro che ſonaua la piua in vna di cinghiale, che nõ era alcuno che due ſimili animali non li ſtimaſſe. Ma quello che fece merauigliare ogn'vno, fu il veder vn groſsiſsimo corſiero coperto d'vna pelle d'Orſo tãto grãde che lo chiudeua tutto, e gli haueuano ſopra i ginocchi attaccato alcuni ſonagli, per il che leuando egli fuor di miſura i piedi nel caminare, pareua che faceſſe nel caminare il paſſo dell'Orſo. Haueua a le ſpalle vna gran copia di ſerui veſtiti tutti all'vſanza de Valacchi & de Bulgari con la berretta roſſa fatta in forma di capuccio aperta da due bãde & ſopra le arme haueua pelli di pecore inuerſe pur con le canne d'India e dietro loro altri ſuccedeuano veſtiti di morello all'vnghera con alcune picciole berrettine in capo, & con le collane d'oro ſotto'l braccio, & la banda al collo del cauallo portando le lancie in ſu la coſcia, & in fine veniuano forſe 80. gentilhuomini veſtiti di broccato d'argẽto conteſto di ſeta negra, che haueuano trauerſate le ſpalle con lupi ceruieri, & ornatone anco il collo e la groppa de i caualli, e doppo loro ſeguiua vna gran bãda d'huomini d'arme poſitiuamente veſtiti in numero di ducento con altrettanti paggi che portauano loro gli elmi e li ſcudi di ferro alla vſanza Italiana, ſuccedendo a ogni due huomini d'arme due paggi: & haueuano queſti ſopra le arme li ſaglioni di velluto nero fregiati con lama d'argento, & li capelli pur di velluto nero cõ li cordoni d'argento, & li fornimenti de' caualli, de l'iſteſſo, e coſi anco de i paggi. Comparuero dapoi altri cẽto huomini d'arme che erano armati di tutto punto con le lancie in ſu la coſcia & con gli archibuſetti all'arcione, hauendo bardati li caualli con pietre luciſiſſime e dietro loro marciauano 60. gentilhuomini veſtiti alla Italiana di velluto nero con li cappotti liſtati d'argento, fodrati di martori, e dicono che queſta era la liurea del Veſcouo di Cracouia. Erauene vn'altra poi di piu ſpeſa, e ſenza dubbio piu vaga, percioche paſſata vna gran fila di molti, che erano veſtiti di damaſco verde con le ale d'Aquila ſopra l'elmo e la targa, vennero poi forſe ſeſſanta gentilhuomini veſtiti di velluto cremeſino fatto a opera, che erano foderate di zibellini cõ ciappiche o capelli in teſta de l'iſteſſa pelle hauendone anco ornato il collo e la groppa de i caualli, & portauano tutti in mano vna mazza d'argento huendo ſopra le ſpalle molte gioie inſerte in varie roſe di ſeta, e d'argento. Ne ſeguiano immediate altrettanti veſtiti di velluto piano pur cremeſino fodrato de volpi bianche, hauendo i capelli dell'iſteſſe, & al collo di ogni cauallo pendeua vna di queſte volpi, & a la groppa erano attaccati molti armellini che calauano fin a terra ſuccedeuano poi forſe 300. veſtiti di ſcarlatto con le lancie & con li fiocconi di piume bianche di pauoni tra le orecchie de i caualli & alla punta ſuperiore delle targhe che pareua lontano che fuſſero tre huomini vniti in vn ſolo. Venne appreſſo vn'altra groſſa banda di infiniti veſtiti pure a velluto nero con le maniche intagliate con argento, & con li pennacchi ſopra li capelli alla foggia Tedeſca, & poi forſe altrettanti con le camiſcie di tela ſottiliſsima lauorate di ſeta nera & cõ le bãde bianche & nere che erano del Duca di Pomerania, & dapoi vna fila di pag

ſto paeſe fuſſero tutte le minere del mondo, & che in queſta citta haueſſero hauu-to cõcorſo li piu ualenti maeſtri. Le gioie ſi come erano ſpeſſe, & inſerte nõ pure ne capelli, e ne i drappi, ma anche ne i fodri delle ſcimitarre, e fornimenti de i caualli dauano nõ mediocre merauiglia, ma molto piu le ſete per eſſere qui in tanto prezzo eſſendoci portate da coſi lontani paeſi: & con tutto queſto ſi puo con uerita dire, che gli fuſſero di 30000. a cauallo, 10000. coperti tutti chi di velluto chi di raſo, chi di damaſco, & chi d'altro drappo piu pretioſo, & molti di ricamo. Ma la moltitu line de caualli continuata cõ quaſi ugual bellezza & titulatura ſuperò tutti gli altri ſpettacoli perche di 300. almeno che erano menati a mano non ſarebbe poſsibile col pennello pingere coſa piu eccellẽte. Di modo che nõ potendo dirſi tãto che baſti, ma ne anco tãto che l' appreſsi alla minor parte che s'è ueduta, giudico che meglio ſia il tacerne. Paſſò finalmẽte l' ultima compagnia tanto piu de nõ altre uaga quanto anche fu piu ingegnoſa, & per auentura piu ricca, percioche cõpariuano innanzi gli altri ueſtiti di raſo cremiſino con gli groppi di piume bianche di pauone, ſi uidde c'haueuano atacati ogniuno a la ſchiena altretanti cigni finti, che aprendo le ali, come ſe ſi alzaſſero ſopra la groppa del cauallo, parena che uoleſſero uolare ſopra il capo de caualli che ſequiuano, liquali erano ſpalleggiati da 200, Raiteri ueſtiti di uelluto nero e bianco, ma mõtati ſopra altrettanti friſoni con li archibuſetti all'arcione, & ultimamente comparuero molti gentilhuomini che ueſtiti di diuerſe ſete di vari colori haueuano raccõmandate le ſcimitarre al braccio ſoſtenute, da groſſe catene d'oro, & haueuano oltre di queſto attaccato lo ſtocco all'arcione, & in mano la ſcuretta, & alcuni le mazze d'argento. Altri haueuano gli archi e li turcaſsi pur d'argento hauendo ogni vno di eſsi molti a piedi, che erano veſtiti della medeſima liurea, ſe bene in habiti di minor valore, ſi come haueuano ancho i luogotenenti delle cõpagnie. Era gia vicina la notte quando fu riſolto che molte cõpagnie che reſtauano a entrare o perche nõ foſſero da mettere in cõſideratione con l'altre, o perche la coſa non ſi ritardaſſe tãto, paſſaſſero di fuora via per dietro la muraglia a la porta di Tranſiluania di modo, che nell' oſcurarſi cominciò a entrare il Senato meſcolato con li prencipali Caualieri del Re che durò per due groſſe hore, non oſtante che li Signori di Lituania ricuſaſſero di entrar ſolẽnemente in queſta città, come haueuano fatto gli altri, dicẽdo che nõ uoleuano cõ le lor proprie facultà aggregar queſta a Polacchi, ma che quãdo il Re andaſſe in Lithuania, haurebbono fatto il debito loro nõ mãco de gli altri in Vilna. Verſo le 2. hore di notte giũſe ſua Maeſtà & tutto che il numero de le torcie e lumiere rẽdeſſero la notte quaſi giorno chiaro, nõ poteua però l'occhio appagarſi di ueder minutamente le richezze che doueuano eſſere quaſi tutte raccolte in queſto ultimo drapello. Percioche ſtudiãdo i Polacchi di cõfondere tutte le nationi foreſtiere cõ la loro põpa nõ ſi ſono cõtentati di ſpargere i theſori in ueſtire i ſerui coſi magnificamẽte, ma faceuano portar le gemme alli ſtaffieri che faceuano cerchio ſingularmente a ogniuno de i Principali, o Palatini, o Caſtellani o Capitani, o Prelati che ſiano, che furono infiniti. Percioche l'hauer eſsi le ſtaffe & i ferri de caualli d'argento e d'oro nõ ſtimano, ſe ne' ſproni, e nelle ſcimitarre nella oſcurita della notte nõ ſi vedeuano a riſplendere le gioie, & per meglio dimoſtrare la loro magnificẽza, come ſe la ſpeſa conſiſteſſe nõ solo nell'hauere i drappi pretioſi, ma anco nell'hauerli di diuerſi colori, nõ ſi curauano di eſſer veſtiti chi di cremeſino, chi di uerde, e chi di morello, ſe ben paſſauano li 60. e li 70. anni. Paſſarono adunque tutti inanti meſcolati, come s'è detto, con la gente piu nobile del Re, alla cui entrata furono ſcaricate quante artiglierie ſono in queſta citta, & ferrato dalla ſua guardia di Suizzeri allabardieri, e Guaſconi archibugieri, fu tolto ſotto il

to il

to il baldachino portato da 8. conſoli della citta ſopra un caual leardo, & haueua un cappotto di uelluto morello foderato di lupi ceruieri con due bande d'argento attorno larghe un palmo, & in capo un capello pur di uelluto morello foderata de lupi,con un cordone d'argento,& un groſiſsimo diamãte in mezo,& altri Smeraldi di grandiſsimo prezzo. Tra gli archi che ſono ſtati fatti uno era ſopra la piazza, nel quale con mirabile maeſtria era poſata un'aquila biancha finta, che è la inſegna del Regno di Polonia,che nel petto haueua dipinti i gigli di Francia, & al cõparire del Re, come ſe ſi leuaſſe a uolo, moſtrò di calare uerſo ſua Maeſta. Sotto l'aquila erano queſti tre uerſi.

Augurij mater uolucrum Regina uagarum:
Corde enata tuo quid ſpondent Lilia? ſpondent
Sarmatiam Henrico florentem Rege futuram,

Di qua paſsò di lũgo al caſtello,e ſmontato a la chieſa cathedrale. fu cantato il TE DEVM un altra uolta, ſi come in un altra chieſa in piazza,doue ſi fermò, fu prima cantato e di la paſsò alle ſtanze della Sereniſsima Infante, ſorella del Re Morto la quale uiſitò eſſortãdola a laſciar hormai gli habiti a bruno, ſi come ella poi fece. Il giorno ſeguẽte,che fu alli 19 ſua Maeſta atteſe a ripoſarſi, & alli 20. ſendoſi cõfeſſata la mattina,fece doppo deſinare intẽder a tutti gli Ambaſ. che poteuano andarla a uedere,e baſciarle la mano,come fecero per ordine,dicẽdo c'hauerebbe poi deſignato il giorno ꝑ l'audiẽza publica a ogniuno doppo la coronatione. Doppo queſto andò ſua Maieſta in Caſimira terriciuola fuor delle mura di Cracouia alla chieſa di S.Stanislao, doue giurò di oſſeruare la giuſtitia & li ſtatuti del Regno,& ritornò i caſtello alle 3.hore di notte. Alli 21.fu fatta la coronatiõe nella chieſa Catedrale,alla quale andò i habito ueſtito di Veſcouo,fuor che la mitra cõ una ciappica o capello i teſta tutta coperta di ſmeraldi, accõpagnato da li Ambas. di S.Sãtità dello Imperatore 3. di Frãcia,Vngheria,Suetia,Venetia,3. dello Elettore di Brãdeburg,di Ferrara, doi di Branſuich 3. del Marcheſe di Brandeburg,del Duca di Pomerania, di quello di Pruſsia del Tranſiluano e del Duca di Ruſsia. Quiui ſi cantò la meſſa, & cõ molte cerimonie e Solennità fu unto dall' Arciueſcouo di Gneſna Primate del Regno,e mẽtre ſi diceua l' Euangelio,tẽne ſẽpre nudo lo ſtocco in mano e finito lo ripoſe nel fodro hauendoſi prima cõ eſſo tocca la ſpalla ſiniſtra. Gli furono dapoi da 4 principali Palatini di queſto Regno portate le inſegne Regali,cio è il mondo,lo ſcettro e la corona,& uno haueua li ſtatuti del Regno,& ricercando a ſua Maeſtà gli heretici che giuraſſe certi capitoli in fauor loro, e nol uolẽdo ella fare,ui fu qualche pericolo di tumulto,& la parte Catolica preualſe di modo che ſua Maeſta giurò i quella forma c' haueuano fatto tutti li Re ſuoi preceſſori.Preſẽtatogli il mondo e lo ſcetro, uolẽdo accoſtarſi il Palatino di Cracouia cõ la corona ſi uoltò il gran Cãcelliere al populo,e lo dimãdò ſe ſi cõtẽtaua che ſi coronaſſe il Re,ilquale cõ grande applauſo gridò uiua Henrico Re,uiua Henrico Re, & ſubito cantate alcune laudi,andò il Re a ſedere ſopra un gran palco in mezo la chieſa e fece alcuni caualieri, poi ritornò a le ſtanze Reali, doue tanta era la moltitudine, e la calca, che ſi bene la chieſa e congiunta al Palazzo, [illegible]

giorno mutato, di ueſte a la Ducale di cremeſino foderate di lama d' oro, di zebel lini, & coperte de uelluto alto baſſo, & coſa ſimile. Gli altri Ambaſ. ſe bene erano tutti carichi di perle, e d' oro, perche erano ne i loro habiti cõſueti non furono ri guardati ſtraordinariamente, & a queſta gente e molto piacciuto l'habito Veneto parendole, che ſia ſimile al ſuo. Il Re quel giorno fece un ſollenniſſimo banchetto a gli Ambaſ. & a Palatini, che duro fino alle 3 hore di notte; doue ſi uidde una bel la credezera del Regno c' haueua 257. uaſi parte d' oro parte d' argẽto ĩdorati cõ i loro coperchi di minutiſſimo lauoro, & molti gioellati: Gli Ambaſ. erano in due tauole a man dritta, & li Palatini & li Veſcoui in due altre a man ſiniſtra, reſtan do ſerrata in mezzo ſua Maeſtà a un tauolino quadro coperto dal baldachino, per ilche anco alcuni di queſti Ambaſ. ſi ſono banchettati l' un l' altro, ma niſſuno ha ſu perato la ſplendidezza di quello di Francia Monſignor di Rambogliet fatto hieri & quello di Venetia fatto hoggi con tanto ſplendore, che furono alcuni che diſſe ro che uoleuano concorrere col Re per eſſer ſtato copioſiſsimo l' un di carne l'altro di peſce, eſſendone in queſto paeſe de buoni tanta careſtia.

A li 23. fu fatto in piazza un gran palco coperto di ſeta, doue il Re fece il gior no molti caualliers, toccandoli con la ſpada ſopra la ſpalla, & gli fu giurato publi camente fedeltà, e homagio da tutti li prencipali del Regno e della città le quali gli diedero molti preſenti di uaſi d' oro e d' argento e di la andò a honorare le noz ze di uno di queſti ſignori Sboroſchi doue deſinò e ballò, e ſtette fino a notte ſcura. Hieri poi furono diſtribuiti alcuni officij, & carichi d' importanza ĩ camera in cõ correza di molti Palatini, doppo il che ſua Maeſta andò a meſſa. Doppo il deſinare ſi gioſtrò nella piazza del Caſtello, come ſi fece anco hieri, a campo aperto all'in contro con ferri molati, & con le targhe e celate ſole ſenza altre arme, & uno re ſtò paſſato di banda in banda, & due caſcorno da cauallo. Tra le molte agilita & deſtrezze di corpo che ſi uiddero, ci fu un Tartaro che correndo a tutta briglia cõ 2. caualli ſenza fermarſi nel corſo, ſaltaua da l'una in l'altra ſella, il che fece mol te uolte con ſtupore di chi lo uiddero Eranui di quelli che medeſimamente corrẽ do tirauano a l'indietro molte freccie cõ gli archi coſi giuſto come ſe fuſſero ſtati fermi ne' berſagli. Accrebbe lo ſpettacolo il ueder comparire come fanno ogni giorno due compagnie a liurea bianca, & azurra, pur con le piume di pauone bian co, che ueniuano di Moſcouia ornate di pelli, di drappi, e di gioie, & di caualli co me l'altre, che paſſate in uiſta del caſtello, fecero una bella moſtra. Hoggi poi ſua Maeſta ha tenuto al batteſimo un figliol d'un di queſti Signori Palatini Cattolici, a cõfuſione di quello di Cracouia, che hauendo ricercato ſua Maeſta che ſi degnaſ ſe fargli il medeſimo honore, gli riſpoſe, per eſſer egli cõtrario alla uera Religione non meritaua ne era honeſto, ch'un Re Catolico ſi ritrouaſſe a le ſue cerimonie. Tutti queſti tre giorni nõ ſi ſono trouati altri Ambaſ che'l Nonciò & quello di Ve netia inuitati da ſua Maeſta, & pare che ſiano piu fauoriti di tutti gli altri. Hora ſi gioſtra tuttauia nel caſtello come ſi fara anchora per 8. giorni continui. Non mancharò poi di dar conto di quello, & d'ogni altra coſa notabile, e mãderò anco ſe potrò hauere tutte le orationi che feranno fatte in publica audienza da gli Am baſ. quali pare che faccino a concorrenza l'un de l'altro tutte le coſe. S'intẽde an chora che uiene uno Ambaſ. di Moſcouia con piu di 1000. caualli molto põpoſi, coſi uno del Turco, e credeſi medeſimamente d'un di Danimarca, e d'un del Re di Tartari, delle quai coſe tutte alla giornata ui darò auiſo, ſe come credo che fin ho ra hauera hauute le eſſequie del Re morto, ch'io mandai.

I L F I N E.